


05

A

1060





1709. W53
DISQVISITIO
De
PRÆDESTI-
NATIONE.

Pro
BALTHASARE MEISNERO, p.m.SS.
Theol. quondam D. & Prof. Publ.

Opposita
M. MARCO FRIDERICO WENDELINO,
Archipalatino.

Et publico examini exposita

PRÆSIDE
DN. WILHELMO LYSERO,
SS. Theol. D. Profefs. Publ. &c.

Respondente
M. BALTHASARE MEISNERO,
Witteberg.

Ad diem 7. Aprilis.
In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,
Typis JOBI WILHELMI FINCELII,
Impensis viduæ JOHANNIS HELWIGII Bibliopolæ.
M. DC. XXXVI.

THEOLOGIS

De Ecclesia Christi & Academia Jenensi
MERITISSIMIS,

JOHANNI MAJORI, Superintend.

JOHANNI GERHARDO,

JOHANNI HIMMELIO,

Doctoribus & Professoribus celeberrimis
VIRIS



Reverendâ Dignitate,
Eximiâ pietate,
Exqvisitâ doctrinâ
Multo rerum usu

EMINENTISSIMIS,

Præceptoribus Meccœnatibus
&
Devenerandis Suspiciendis

Hæc pro B. Parente ἀπολογήματα

mitto submitto dedico

A. & Resp.



Σὺν Θεῷ.



Rodit A. 1622. & nuper proximo abhinc anno in Nundinis Vernalibus secundâ vice *tractatus* M. Marci Friderici Wendelini *de Prædestinatione*, in quo suas suorumq; sociorum ἐπεροδιδασκαλίας defendere allaboravit, & in specie nonnunquam *Anthropologiam* Parentis mei τῆς νυνὲ ἐν ἀγίοις sibi refutandam sumfit. Quamvis verò quid ad ea sit reponendum, nulli non vel mediocriter hac in re exercitato notum esse possit; quæ etiam de causa Parens meus, dum adhuc viveret, in eis refellendis, utpote gravioribus & utilioribus implicatus negotiis, operam aliquam collocare è re fore non duxit, præsertim cum & alii illum in se laborem reciperent. Nihilominus cum denuo typis exscriptus sit, illa omnia, in quibus B. Parentem nominatim perstringit, reasumsi & breviter ac modestè refellere cõstitui; non alio animatus fine, quàm ut præcipuè gloria Dei (quæ in omnibus actionibus nostris spectanda) quæratur, ac dein fama Parentis mei jam piè in Domino defuncti (quam defendendam esse σοφὴ naturalis monet) facta testaq; conservetur. Spero proinde, nec quemvis cordatum alium, nec ipsum Wendelinum hoc vitio mihi vorsurum esse. At tu S. Spiritus in hoc arduo mysterio linguam, mentem ac calammum dirige, ut vera propugnem masculè, falsa destruaam potenter, propter Redemptorem nostrum benedictum, Amen.

Q. 1. *An Dei voluntas circa salutem generis humani sit duplex, eaq; contraria: signi & beneplaciti?*

Calvimiani affirmativam sibi à Nostratibus affingi graviter §. 1. quærentur, è quorum quoq; numero Wendelinus est, *tract. de Prædest.*

Prædest. p. 26. Sed falsam esse illam protestationem, docent clara verba. 1. Bezzæ, qui *part. 2. resp. ad acta Coll. Mompelg.* p. 173. affirmat; celari interdum aliquid à Deo ei, quod in verbo patefacit repugnans. Et p. 174. inquit: sic deniq; multi communi prædicatione verbi & Sacramentorum externâ jam olim vocati sunt & quotidie vocantur, ex quibus soli beneplacito salutari electi servantur. Vid. etiam p. 175. & alibi passim. 2. Piscatoris, in *disp. contra D. Schafm.* dicentis; Deum verbo interdum significare se velle, quod reverà non vult, aut nolle, quod reverà vult. Id. *resp. ad disp. D. Taufreri* p. 35, 36. ait: Quod Deus extrinsecè & seriò ad pœnitentiam vocet reprobos & insuper juramento testetur, se non morte, sed conversione & salute eorum delectari: Et nibilominus eos intrinsecè, arcano & immutabili decreto ab æterno absolute ad damnationem destinaverit & unicè in hunc finem creaverit: certè hac ambo facit Deus. Et rursus *disp. de prædest. th. 120.* in fit: Deus lingvâ per ministros Evangelii profitetur, se reprobos quos in turba electorum alloquitur, velle credere Evangelio, quatenus id eis mandat: Et tamen non vult eos credere. 3. Polani *didascal. de prædest.* p. 199. distingventis inter Dei mandatum externum & consilium æternum. Vid. porrò, si lubet, Calvin. *Instit. lib. 1. cap. 17. §. 2. lib. 3. cap. 20 §. 43. Apol. Bibl. Neostad. p. 54. Piscat. contra Apolog. Bertii* p. 140.

§. 2. Negativa nostratum est Theologorum, quæ probatur 1. à Dei veritate & sanctitate. 2. à divinæ voluntatis unitate. 3. à natura signi & signati. Vid. Parentis p. m. *Anthropol. dec. 2. disp. 2. q. 1. th. 26.* Proferunt autem ex adversa parte exempla, in quibus Deus voluntate signi aliquid præceperit, quod tamen voluntate beneplaciti noluerit, ut I. quando voluit, ut Pharao dimitteret populum *Exod. 5, 1.* quod tamen noluit. II. quando Abrahæ mandavit, ut occideret Filium *Gen. 22, 2.* quod itidem noluit. III. quando Christus se erga mulierem Cananæam initiò ostendit iratum *Matth. 15. 23.*

§. 3. Ad I. Respondit Parens meus d. l. præceptum illud Pharaoni datum fuisse maximè seriù, adeò ut Deus ex animo voluerit, ut Pharao populum dimitteret quod constat ex loco *Exod. 10, 3, 4.*
Exci-

157

Excipit Wendelinus tract. d. p. 28. Deum noluisse, ut Pharao populum dimitteret. Hoc probat.

1. *ex eventu, quia non dimisit. Si enim Deus voluisset, non potuisset non dimittere.* Resp. Confunditur voluntatis Dei decretum absolutum, quod semper impletur & non potest non impleri; ac conditionatum vel ordinatum, quod conditionem habet annexam, quâ positâ ponitur, non positâ non ponitur decretum in actu, ipsâ interim voluntate decernente in se eadem permanente. Unde alii distinguunt inter decretum ipsum & inter actuale decreti in hominibus effectum, qui vitio hominum ob conditionis annexæ neglectum sæpe impeditur. Jam si consideremus decretum de dimittendo à Pharaone populo Israelitico, id non fuit absolutum, sed conditionatum, si scil. ipse Pharaon etiam vellet & ad monitum Dei se flecti pateretur. Deus enim voluit liberam & spontaneam populi sui dimissionem; non violentam. Hinc quia Pharaon mandato Dei liberè & obstinatâ malitiâ restitit, id quod Deus voluit, non fuit impletum, quia conditio illa decreto Dei conditionato annexa non fuit impleta; sed liberè inhibita.

2. *ex vers. 1. cap. 10. unde talem format syllogismum hypotheticum: Si Deus aggravavit cor Pharaonis ne dimitteret. Israelitas, ut signorum edendorum occasio suppeditaretur, sequitur Deum noluisse, ut populum dimitteret. Verum prius. Ergo & posterius. Connexio ratio est, quia Deus consiliorum suorum executionem non impedit; sed promovet.* Resp. Consequentia negatur. Ad probationem sciendum, Deum consiliorum suorum quædam promovere absolutè, quædam conditionatè, prout decreta vel sunt absoluta vel conditionata: in his enim quæ conditionem habent adjunctam, si ea ab hominibus non impletur vel promovetur, ipsum consilium & decretum Dei dicitur impeditum. Jam verò fuit modò dictum, Deum conditionatè voluisse dimissionem populi, si scil. Pharaon annueret & Dei præcepto obediret. 2. Quod autem attinet in durationem & aggravationem cordis, illam Deus directè non immittit; sed liberè accersitam non sustulit, quin potius peccatorem

ex iusto iudicio ob antegressam contumaciam Satanæ reliquit & tradidit. 3. Rectè ergò distinguunt Orthodoxi (vel ex unico Salvatoris dicto *Marc. 16, 15, 16.*) inter voluntatem Dei antecedentem & consequentem, non ac si sint *contrariae voluntates*, ut calumniatur Wendelinus; sed ejusdem voluntatis respectus subordinati & diversi. Antecedente voluntate Deus voluit, ut Pharao populum dimitteret, non tamen violentè, sed liberè. Quia ergò ille spontaneâ malitiâ voluntati & consilio Dei resistebat, hinc in poenam præcedentium delictorum, ex iusto iudicio, voluntate consequente per admiranda signa cor ejus durius redditum & aggravatum fuit. 4. Quod addit Adversarius, *præceptum de dimittendo populo non fuisse eo sine datum ut populum Pharao dimitteret, quia sic Deus sine suo excidisset*, id est contra *Exod. 10, 3, 4.* & tum tollit Dei veritatem ac sanctitatem ipsumque; facit hypocritam, tum oritur ex perpetua confusione voluntatis Dei absolutæ & conditionatæ. De præcepto officii tantum aliquem admonente, mox acturi sumus.

S. 4. Ad II. respondit Idem, *præceptum illud non fuisse serium, quia eo saltem sine datum, ut fides & obedientia Abrahami probaretur, quod patet ex Gen. 22. 1.* Excipit Wendelinus p. 29. & dicit.

1. *Si non fuit serium. Ergò jocosum & ironicum.* Resp. Neg. consequentia, quia hæc non sunt immediatè opposita; sed potius serium & non-serium. Hoc verò non semper est vel jocosum vel Ironicum; sed datur tertium juxta Scripturam, scil. quod est tentatio vel probatio obedientiæ & fidei piorum.

2. *Finis præcepti fuit serius. Ergò & ipsum præceptum.* Resp. Unde verò probatur consequentia? Anné semper ita se habent media ut finis? Vel num Christus se mulieri Cananæ iratum seriò ostendit, quia finis fuit serius? Haut concedet Wendelinus. Et si hoc præceptum seu decretum de immolando Isaâco fuit serium, & alterum decretum de eo non immolando itidem serium, ut docet eventus; sequitur, quòd Deus habeat contraria decreta, quia seriò velle ut quis immoletur

letur & non - velle ut quis immoletur, sunt omninò contradi-
ctoria.

3. Directam tandem addit responsionem; *summa*, inquit, *hinc redit: Præceptiones & prohibitiones factæ reprobis seriæ sunt, minimè fucatae aut simulatae. Requirit enim Deus seriò à reprobis & ipsis Diabolis, quæ ut non exhibitum iri sapientissimè novit, sic nec exhiberi justissimè vult. Non ergò requirit, ut exhibeatur & ex aeterno suo decreto se velle exhiberi significet, sed ut, quid Deo creatura debeant, intelligant & inobedientia convicta justas damnationis suæ causas agnoscant.* Resp. Quâ specie vel consequentiâ ab Abrahamo justo & patre credentium ad reprobos argumentans hæc proferat Antagonista, ipse videat; aut priùs probet, præcepta reprobis data eodem modo non esse seriâ. Interim operæ pretium erit, hæc, accuratiùs pensiculare. Cum verò hîc admodum sit obscurus, dilucidationem addent ea, quæ habet in *Christ. Theol.* p. 70. ubi dicit; *quòd quando aliquid, quod Deus jubet, non fit, tunc sit signum decreti de homine per præceptum officii sui admonendo & ad id faciendum obligando, ut ἀναπόλογηται & reddatur & (sicut h. l. differit) de inobedientia convincatur.* At quicumq; præcipit & vult, ut id ab homine præstetur, quod aliàs juxta beneplacitum suum ab eo non vult præstari saltem ut habeat occasionem de inobedientia hominem convincendi, is 1. sibi est contrarius & contraria ac contradictoria circa idem subjectum eodem modo se habens & in eodẽ tempore consideratũ, fovet beneplacita & decreta, dum secundum alterũ jubet ab homine præstari id, quod secundum alterũ ab eodẽ præstari non vult. 2. causa illius decreti non-impleti existit, quia juxta ejus voluntatem & beneplacitum homo mandatum implere nec debuit nec potuit. 3. est sarcasticus illusor & hypocrita, dum ejusmodi præceptum seriò proponit, quod tamen homo implere nec debuit nec unquam potuit. 4. est injustus tyrannus, dum hominem punit ob illud ipsum factum, quod juxta ejus beneplacitum fieri non debuit, nec potuit: Quæ omnia an in Deo nostro glorioso statuere velit Wendelinus, maturè secum deliberet.

Ad



§. 5. Ad III. tandem respondit, *Dist. inter simulationem licitam, quæ à Deo aliena non est; & illicitam, quam Deo malè tribuunt Calviniani.* Ad hoc ait Wendel. p. d. *Quæ de simulatione nobis exprobrat adversarius, mera sunt calumniæ. Simulat enim præcipiendo vel prohibendo, qui vult videri id velle, quod non vult: quod certè à Deo alienum putamus &c.* Resp. Qui veritatem dicit, non calumniatur. Deum juxta Calvinianos velle videri id velle, quod non vult, idq; in hominis damnum est notissimum. Docet id expressis verbis Piscator suprà allegatus §. 1. docet id ipsum Wendelinus. Nam *ad sanctitatis studium hominem obligare per præceptum, qui tamen non sit sanctificandus, ut se explicat adversarius in Christ. Theol. p. 71.* annon hoc sit velle videri id velle, quod quis non vult, adeoq; sit mera illusio & simulatio hypocritica, judicent cordati.

Q. 2. *An meritum Christi, ut causa movens & fides electorum ut conditio subjecti eligendi æternæ electionis decreto sint inclusa?*

§. 1. *Orthodoxa* sententia est, quòd in decreto electionis æternæ ratione ultimæ actionis, quæ hunc electum constituit ipsi Dei beneplacito ut causæ *principali* simul sit inclusum tum meritum Christi sufficienter pro omnibus satisfaciens ut *causa movens*, tum fides electi ut *organum* ejus meritum illud perseveranter apprehendens, non quoad actum, sed quoad intuitum.

§. 2. Parens meus p. m. quando disp. 14. *anthropol. th. 36. fidem* vocat *i. causam instrumentalem non totius decreti; sed potius partis, scil. meriti Christi, quod fides apprehendit*, laudatur à Wendelino p. 140. (etsi alibi p. 107. ab eodem rursus culpetur; attamen præter rem. Dicitur enim pars saltem nostro concipiendi modo, quatenus tota electio constat multis diversis actibus ex parte nostri) quod si ipse attendisset, non adeò absurdè taxasset locutionem illam in *Christ. Theol. p. 124.* quia isto,

161.

isto, non alio sensu fidem electionis instrumentum dicunt No-
strates, nempe quod sit medium applicans meritum Christi ex
parte subiecti, in intuitu ita prævisum, prout in tempore huic
vel illi subiecto actu applicatur; non verò ut sit instrumentum
ex parte Dei, 2. quando illam ipsam vocat *conditionem ele-
ctionis*, ab Eod. l. d. corrigitur, *quod intelligere debeat conditio-
nem electioni subordinatam; non præordinatam*. At Nostrati-
um mentem hac in re pervertit, ut in progressu patebit: ipse
autem niti videtur falsâ hypothesi (quod hîc in initio monen-
dum) ac si duo actus fingendi sint in decreto electionis; unus
de fine, alter de mediis, quasi *ἔξω* & media sint posteriora
ipsi voluntati decernenti & post decretam jam certis personis
salutem & decretum jam constitutum ratio ordinis demum se-
quatur. Verum falsissimè. Unicus est actus voluntatis di-
vinæ decernentis in se licet ratione effectorum & objectorum
diversorum in diversis actibus à nobis concipiatur, qui nimi-
rum per *ἔξω* ex temperamento justitiæ & misericordiæ or-
tam juxta præscientiam in hoc vel illo subiecto determinatur.
Patet hoc, quia in Scriptura electionis decretum semper ita
describitur, ut meritum Christi fide apprehensum ingredia-
tur ipsum electionis actum; non verò sit consequens. Sic dici-
mur *electi in Christo Eph. 1, 4*. Si autem Christus esset con-
sequens electionis, dicendum foret; nos esse electos in Chri-
stum. Et si fides meritum Christi apprehendens non ingredi-
tur ipsum electionis decretum; sed illud tantum sequitur &
subordinatum est (sunt verba Adversarii) ut medium, per quod
Deus jam absolutè electos ad vitam perducere decrevit, se-
quatur. (1.) electionem adhuc esse factam extra Christum, &
secundum se perfectam, antequàm intercessio Filii ullo modo
spectetur. (2.) salutem in DEI decreto præsentem fuisse an-
te Christi meritum & satisfactionem præstitam, adeoq; istud
fuisse supervacaneum aut saltem non-necessarium: quæ omnia
sunt absurda, & Socinianismum plenis velis in Ecclesiam in-
vehunt. (3.) quando eandem vocat B. parens *partem ordinis
prædestinatorii*, probatur d. l. *Quod acceptamus, nisi ὑπὸ γλῶσφι
lateat*

B

lateat

laterat, cum Antagonista infra idipsum de executione saltem in tempore, ubi fides requiritur; non verò de ipso etiam decreto explicare videatur: ut suo loco videbimus. (4.) quando dicit, *fidem non considerari seorsim, sed conjunctim, unà cum ipso merito apprehenso, ut sis utrumq; copulatum unam electionis causam impellentem constituat*, taxatur acerbè ab Eod. l. d. Sed præterrem. Non quidem meritum Christi & fides sunt res una & eadem; in hoc tamen negotio, scilicet in decreto prædestinatorio stant pro una causa impellente: Nempe quia in intuitu DEI meritum Christi non in sese sed in applicatione, fides vero relativè consideratur ut apprehendens meritum Christi suo tempore exhibendi, adeò ut in electo hoc vel illo fides salvifica nulla sit futura in tempore, nisi quæ illud sibi applicet, nec meritum ullus eligendorum sibi sit applicaturus, nisi fidelis Dei filius. Exemplum ergò à justificatione sumtum malè affertur & Arminianismus incongruè objicitur. Nam justificamur omninò propter Christi meritum fide apprehentum, & nisi fides apprehenderet, non etiam justificaret meritum Christi. Hinc dist. inter eorum existentiam simultaneam & operationem eandem. Esi neutrum possit à justificatione abesse; non tamen utrumq; eodem modo in effectum influit, sed ratione diversâ. Propter meritum Christi salvamur, ut propter causam principalem acqvirentem vel promerentem; per fidem autem tanquàm per causam instrumentalem ex parte subjecti salvandi aut justificandi. (5.) quando dicit, *fidem meritum Christi apprehendentem movisse seu impulisse Deum ad eligendum*, arripitur, & cum Sigewardo contra Iren. p. 173. committitur, ab Eod. p. 141. Sed incogitanter. Ubi enim, Wendeline, D. Sigwartus p. m. illud damnat, quòd impellens electionis causa dicatur fides cum merito Christi conjuncta? Longè aliud est, fidem meritum Christi apprehendentem impulisse Deum ad eligendum; prout & Apostolus ait fidem imputatam esse ad justitiam; & aliud, *Deum fuisse impulsam ad electionem propter prævisam fidem*. Illud enim pertinet ad conditionem subjecti eligendi, & idem in integro

com-

complexu considerat (non secus atq; annulo aliquid propter
 gemmam indusam tribuitur) ad quam Deus respexit in tem-
 pore ipsi dandam; hoc verò causam innuit meritoriam, effici-
 entem, cooperantem &c. ex parte nostri; quæ βδελύγματῶ
 affirmare nostris ne quidem per somnium in mentem vene-
 runt.

Cæterùm argumenta nostra sunt afferenda & à cavillis §. 30
 Wendelini vindicanda. Sunt illa duplicia; generalia & spe-
 cialia.

Illam docent, ad utrumq; tùm Christi meritum tùm fidem
 illud apprehendentem in electione Deum respexisse, quorum
 duo Parens d. l. th. 18. seqq. profert 1. à consonantia decreti
 cum executione. 2. à præscientia & imprimis ex locis 1. Pet. 1, 2.
 Rom. 8, 29. c. 11, 2. ubi simul refutat Piscatorem, qui vult,
 πρὸ γνωσιν in illis locis idem esse quod electionis decretum, quia
 (1.) in loco Rom. 8. Paulus πρὸ γνωσιν sejungit à πρὸ γορισμῶ.
 (2.) quia illa est intellectus 2. Tim. 2, 19. ἐκλογὴ verò volunta-
 tis Eph. 1. 5. Ad utrumq; excipit Wendelinus.

Ad I. dicit p. 143, seq. ipsos non ferire hoc argumentum, quia §. 40
 ipsi statuunt Deum iisdem causis in tempore nos salvare, quibus ab
 aeterno salvare decrevit; sed negent exinde sequi, easdem decreti,
 h. e. voluntatis divinæ & effectorum à voluntate in tempore profe-
 ctorum esse causas quia illa est prima & independens rerum omni-
 um causa. Adducit deinde autoritatem Zanchii lib. de N. D.
 cap. 4. q. 11. th. 7. & Thomæ dicentis: Vult Deus, hoc esse pro-
 pter hoc, sed non propter hoc vult hoc. Resp. 1. Consonantiam
 causarum salvationis & electionis demonstravit Parens d. l.
 & nos suo loco eandem mox sumus probaturi. Adversarius
 autem nititur putido illo figmento, quo ex Molinaeo Anat.
 Armin. cap. 25. p. 180. semper prius ponitur absolutum decre-
 tum (cujus nulla sit causa, præter solam εὐδοκίαν) & postea
 demum sequitur αἰτίαι mediolorum tanquam effectorum in
 tempore sequentium; quod modò fuit refutatum §. 2. n. 2.
 2. Ipsa Dei voluntas est omninò inde pendens, nec etiam à fi-
 de in tempore pendere dicitur; sed tamen Deus juxta hanc



independentem voluntatem ex solo suo beneplacito per misericordiam & justitiam determinato elegit eos tantum, qui Christi meritum perseveranter sunt apprehensuri; & sic in intuitu praevidit conditionem illam fidei meritum Christi (ex dono ipsius gratuito) apprehendentis fore in hoc vel illo electo, non ac si fuerit in ipsa ejus voluntate independente. Et sic ipse Adversarius causam aliquam impellentem vel moventem concedere in divina voluntate cogitur, quando in *Christ. Theol.* p. 76. resp. ad (5.) *rationem volendi in illa ponit.* Jam vero ratio, ob quam quis aliquid vult, est causa impellens & movens. 3. De sententia Thomae infra agemus.

S. 5. Ad II. excipit p. 144, seq. *hoc itidem suis non esse oppositum, ut qui non negent, in electione Deum ad Christi meritum fide apprehendendum attendisse; sed ad Christi meritum ut causam impellentem attendisse, hoc esse quod ipsi negent.* Dicitur vero electionem factam *κατὰ προγνωσιν*, non ut fidei nostrae praevisio causa electionis indiget, sed ut electione ad finem & ad media, quae voluntatis est, non sine aeterna praecognitione, quae ad intellectum pertinens nostro concipiendi modo actione voluntatis ordine prior est, facta intelligatur. Resp. Ad primum jam supra, responsum: Et phrasia *κατὰ προγνωσιν* eligi, indicat non tantum electionem & praevisionem conjuncta, sed in praevisione aliquid consideratum, juxta quod Electio facta sit, indicat. Jam vero meritum Christi applicatum DEUM ad hunc vel illum eligendum movit. Nullam hominis dignitatem unquam fingimus, quae ex parte nostri Deum moverit ad eligendum: sed Deus eligere voluit homines ex mero beneplacito; eos tamen, quos meritum Christi fide apprehensuros esse praevidit, eo sensu concedimus beneplacitum merum; sed tamen absolutum ut in articulo justificationis negamus. Notamus autem verba Wendelini p. 145. ubi, *Ut praecognitio, inquit, conjuncta est cum dilectione, sic & electio non fluxit nisi ex dilectione.* Jam vero dilectio illa Electionis extra Christum quaerenda non est; verum fundatur in illo *ἀγαπῶ*, cujus meritum non nisi per fidem apprehenditur. Et hoc, non alio sensu

sensu meritum Christi electionem ingredi vel hujus causam impellentem & moventem esse dicimus. 2. Afferit, *ordine priorem esse præcognitionem electione ad finem & ad media*. Quod quidem de præcognitione & generali proposito quosdam eligendi concedimus, si id intelligat saltem ratione nostri ubi electionem in diversis actionibus concipimus; addimus verò in ultima actione qua hic vel ille in numerum Electorum collocatur, prævisionem apprehensionis mediorum, electionem ad v. æt. præcessisse: at non in Deo, ut scil. præcognitio, & electio ad finem & post ad media, se realiter consequantur. Constanter enim & denuò asseveramus, unicum esse actum, quo Deus homines præcognovit, & ad finem ac media simul elegit; figmentum autem Molinæi est dicens; *se non facere amorem Patris tempore, sed ordine saltem priorem intercessione Filii*. At nihilominus ita se consequuntur ut realiter distincta, & p. c. adhuc decretum electionis scil. quod est de fine erit extra Christum; postmodum verò hanc electione jam per se perfectâ sequetur decretum de mediis ad finem ducentibus, ubi sanè. Christus juxta ipsos quoque includitur & ab ipsis excludi non sine calumnia (ut putant) à nobis non dicitur. Sed annon hoc sit ludere in re seria, judicent cordati. Qua de re infra §. 10. plura occurrent dicenda. Vid. supra dicta §. 2.

Porro progreditur Noster ad defensionem Piscatoris, §. 6. per *πρόγνωσιν* ipsam electionem intelligentis Rom. 8, 29. ubi responderet 1. non esse *ταυτολογίαν*, cum per *πρόγνωσιν* possit intelligi electio ad finem, per *προβουλήσιν* electio ad media, quod posterius probat ex addita determinatione Pauli. Resp. Illud suum posse refutatur per non posse. Vid. paullo præcedentia. Et à Piscatore *πρόγνωσις* pro toto Electionis decreto ponitur. Ad posterius quod attinet, sciendum quòd Apostolus à speciali doctrina de conformitate imaginis Christi in cruce procedat ad doctrinam generalem de conformitate in gloria & destinationem ad salutem ut sequens Pauli climax liquidò ostendit. 2. *Εἰς πρόγνωσις* propriè sit intellectus; tamen

quia cum dilectione conjuncta sit, hinc quandoq; pro ipsa electione sumi, ut d. l. probat, Piscator. Resp. Etsi præsentia specialis & electio, in aliis Scripturæ locis permutentur; tamen hîc differunt, ut ex illius catenæ anulis sequentibus apparet, ubi gradatim ascenditur ab uno ad alterum, quæ propterea non possunt esse eadem.

§.7. Specialia argumenta militant sigillatim *tum* pro merito Christi, *tum* pro fide prævisa.

Pro merito Christi Parens meus *ibid.* adduxit duo dicta & duas etiam rationes.

Prius dictum 2. Tim. 1. 9. & conclusionem ex eo (modo illo, quo in *Anthropologia* exstat) formatam, quòd scil. *decretum electionis non sit absolutum, sed cum respectu meriti Domini velut causa impellentis conjunctum*, Adversarius in locum septimum transposuit & alter informatum ex Reineccio adduxit, atq; totum concessit. Quod pro confesso accipimus & merito argumentum ipsum pro invicto habemus.

Ex posteriori dicto quatuor argumenta formantur, quæ ordine videnda:

§.8. 1. *Si eligimur in Christo, utiq; Christus electionis nostræ causa erit. Conseqv. prob. quia propos. In plerumq; notat causam propter quam, ut Gen. 29, 18. &c. ubi postmodum pondera B. Parens expositiones Polani & Piscatoris. Excipit Wendelinus p. 145. seqq. 1. partim esse inconsevens & colligi particulare ex particulari, partim falsum esse. & apud Ebr. & c. apud Græcos & In apud Latinos plerumq; notare per aut propter.* Resp. Non est inconsevens, sed optimè sequitur: si particulam *cum* pro per aut propter sumi, non est insolens (Vid. *Lex. Stephani vel Concord.*) sequitur, quòd & hîc ita sumi non repugnet seu probabile sit, donec contrarium probetur. Et ita omninò hic sumendum esse patet non solùm, quia textui non repugnat; sed & quia eadem vocula eodem sensu in eodem contextu & capite repetitur v. 3. 6. 7. 10. & explicatur expressè per *Ag.* v. 5. cui sensui adstipulatur LUTHERUS in *Verf. Germ. 2. eligi in CHRISTO esse eligi in eo non ut in causa, sed in fundamento electionis.* Resp. Interpretatio hæc convenit

267.

nit cum expositione Polani, quam d. l. censuit & recensuit
Parens p. m. quò Wendelinum remitto. Vid. etiam mox
subseqq. 3. Piscatoris glossam, nos eligi ut propter Christum
sanctificemur, vult defendere, ideoq; dicit (1.) *peti principium
& esse verba.* Resp. Non sunt nuda verba, sed in poste-
rioribus, (ex quibus hæc facillè quivis cordatus colliget) ap-
ponuntur rerum pondera, imo verò deducat & probet glos-
sam ex textu, aut contortam ipse agnoscat. (2.) *ταυτολογία
non esse quia Piscator attendat integrum Pauli contextum.*
Resp. Sed ita manet adhuc inexplicatum, quid sit illud abso-
lutè eligi in Christo & sine addito: eligi ut essemus sancti in
Christo. Nam aliud certè est eligi in Christo; & aliud, eligi
in Christo, ut essemus sancti & immaculati: at juxta Piscato-
rem prius idem quod posterius. Manet ergò tautologia ex
sententia Piscatoris. (3.) *non esse benedictionis & electionis
eandem rationem, nec illius phraseos utriusq; eundem sensum, quia
electio pertineat ad decretum, benedictio ad executionem.* Jam
verò utriusq; non esse easdem causas. Et Paulum diversè loqui
de utraq; quia benedictionis spiritualis pars sit sanctitas. Ergò
non potuisse dicere; nos esse benedictos, ut simus sancti. At de ele-
ctione hoc potuisse dicere, quia sanctitas est conditio salvando-
rum à Christo tanquam salutis causâ danda, ita tamen ut Christi
meritum non sit causa, sed effectum. Resp. Nos urgemus
verba v. 3. & 4. benedixit nos in Christo, (*καθώς*) sicut nos
elegit in ipso. Easdem causas non esse decreti & executio-
nis ejusdem jam sæpe à Nostriis est refutatum & ab ipso supra
concessum. Hoc loco ita procedere lubet: Quo modo & ordi-
ne Deus salvat nos & nobis benedicit in tempore eo modo &
ordine etiam salvare decrevit seu elegit ab æterno. Per Chri-
stum fide apprehensum ut causam nos in tempore salvat &
benedicit. Ergò. Minor est in textu v. 3. & ab ipso Wen-
delino conceditur. Major 1. fundatur in Dei immutabilitate
2. conceditur à Sohnio, cit. Parente d. l. th. 18. 3. roboratur
ex part. paritatis *καθώς*, & desumitur ex ipso contextu.
Apostolus enim à v. 3. usq; ad 12. per inductionem recenset
lingu-

singulas benedictionis species, quibus Deus nobis benedixit, quarum prima est electio. Unde ita infertur: Deus benedixit nobis omni benedictione spirituali in Christo ceu causa impellente & movente, dicente Apostolo & concedentibus Calvinianis. Ergo quoque in Christo nos elegit, ut causa impellente. Ratio, quia electio est pars illius benedictionis spiritualis. Jam vero à ratione totius universalis seu generis ad rationem partium seu specierum rectè proceditur. Ipsi ergo D. Paulo in faciem contradicunt adversarii, quando decretum & executionem decreti faciunt diversa. Si verò aliæ essent causæ salutis & aliæ electionis, cur electio ad vitam æternam & electio ad salutem in Scripturis sunt *ἰσοδυναμῶντα*? Et annon ab ipso Wendelino in *Christ. Theol.* p. 135. *finis electionis* statuitur *patefactio divinæ misericordiæ in gratuita quorundam peccatorum salute*? Quomodo ergo electionem & salutem diversimodè se habere dicet? (4.) *se concedere, benedictionem & electionem factam esse in Christo, sed non eodem modo & respectu, quia illa facta sit in eo, ut causa, hæc in eo ut fundamento.* Resp. Recurrit idem coccysmus. Omnino etiam debet esse idem modus ob argumenta jam tacta; quamvis nec altera sententia de fundamento explicans nobis repugnet, fundamentum n. ordine prius est fundato, & electio in capite à capitis dignitate mēbra ratione electionis dependere efficit, ut patet ex *Anthropol.* d. l. th. 23. Sed, en! veritatis lucem, quæ adeò clara, ut Wendelinus eidem contra eandem pugnans testimonium præbere cogatur. Ita enim inquit p. 148. *Quemadmodum in tempore benedicimur in Christo omni benedictione spirituali, sic & ab æterno electi sumus in Christo, ut benedictionem spiritualem per & propter eum assequeremur.* (5) *se non confundere electionem cum sanctificatione in tempore; sed tamen distinguere inter sanctificationem ipsam in tempore & decretum sanctificationis æternum.* Resp. Paulus verò distinctè agit de Electione, quæ facta ab æterno, & de sanctificatione, quæ in tempore subsequi apud nos debet: ad prius refert Christum, Piscator ad posterius sicque omnino tempora confundit.

2. Si ita

2. Si ita in Christo eligimur, velut benedicimur, utiq; per
 & propter Christum eligimur, quia benedici in Christo idem est
 ac per & propter Christum benedici. Antecedens est verum ex
 illo loco v. 3. 4. Ergo & consequens. Excipit Wendelinus p. 149.
 antecedens esse falsum quoad panharmoniam causarum, proba-
 tionem huc non facere, quia Paulus comparat benedictionem cum
 electione, quod in Christo facta sit; non verò quoad modum seu
 quòd etiam juxta easdem causas facta in Christo sit; Et particu-
 lam καὶ ὅς notare consensum executionis cum decreto. Resp.
 Omnino ex scopo & toto contextu liquet, quòd de Christo
 ut causa memoria agatur in tota hac capitis parte, quòd illi
 quicquid Socini castra concedere nolunt, concedere coguntur.
 Particula verò καὶ ὅς utiq; in phrasi, ἐν Χριστῷ & ἐν αὐτῷ col-
 lationem instituit, unde necessario utrobique in eodem sensu
 accipienda.

3. Si per Christum sumus predestinati, utiq; decreto electio-
 nis inclusus est Christus. Verum prius ex v. 5. Ergo. Excipit
 Wendelinus d. 1. Tertia conclusio assertioni nostrae non contradi-
 cit: Etiam si assumptio falsa est. Non enim dicit Apostolus, nos
 esse electos per Christum, sed electos esse ad ὑποθεσίαν per Chri-
 stum scil. obtinendam. Verba igitur διὰ Χριστῶν non pertinent
 ad participium ὑποθέσεως, sed ad sequentia εἰς ὑποθεσίαν.
 Fons verò electionis nominatur εὐδοκία τῆς θελήματι. Resp.
 Sunt quidam ex vestris, qui electionis decretum crea-
 tionis & redemptionis decreto præponunt, qui Christi in de-
 creto electionis respectum nullum habere possunt. Quòd si
 status Controversiæ contra modernos ita formetur, annon
 meritum Christi ita decreto electionis inclusum sit ut justitiæ
 per illud satisfaceret, quò per misericordiam illi, qui sibi me-
 ritum istud applicant, eligi potuerint: contra absolutissimæ
 gratiæ assertores conclusio hæc omnino directa erit. Hoc
 contra Calvinianos defendebat B. Pares, unde etiam addit.
 Quare non est absoluta, sed limitata, si verò non contradicit,
 cur tamen ad argumentum excipitis, Calviniani? 2. Unde
 probabitur, in verbis illis (ad ὑποθεσίαν per Christum) sub-
 C intelli-

intelligendam esse vocem; obtinendam? Imò verò cur omit-
titur, quod Parens p. m. disertis verbis addit: *Neg; hinc de tem-
porali executione agit Apostolus, quoniam inquit, Deum nos in
sefe eis αὐτὸν predestinasse per Christum, quibus sanè verbis nota-
tur eternitas.* Licentia hæc in Verbo Dei nunc mutandi,
nunc addendi, nunc demendi aliquid, quod in eo non est vel
eidem contrarium, si admittitur, perit *πληροφωρία* fidei.
Habeat ergò sibi Antagonista suam glossam: at nos retinea-
mus verbum Dei purum, quod decreto electionis; non sal-
tem executioni in tempore Christum includit, ut vel ex phra-
sium Paulinarum alternatione constat. Quòd enim h. l. di-
citur, per Christum, id antea dicebatur in Christo nos esse præ-
destinatos, unde innuitur ipsum esse in ipso actu electionis in-
clusum; non autè esse tantum ejusdem cõsequens. 3. Fons electio-
nis est sanè illa *εὐδοκία*; verum hæc nõ est nuda & absoluta, sed
fundatur in Christo, *ἐν ἀγαπητῷ Matth. 3, 17.* vel *ἠγαπημέ-
νω*, ut *hic* expressè adjicitur. Quod ulterius patet ex col-
latione benedictionis & electionis, ut in illa Christus admit-
titur ut causa, ita ab hac excludi nequit ut causa.

4. *In quo (seu per & propter quem) sumus chari redditi,
in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum in quo
sorte vocati sumus &c. in eodem etiam eligimur. Atqui in
Christo seu propter Christum sumus &c.* Ergò. Excipit Wende-
linus, *negando consequentiam, quia decreti & executionis non
sint eadem cause.* Resp. Quæ hæc est malicia, negare id,
quod expressè ponit & concedit Apostolus, immediatâ &
concatenatâ serie enumerans? Quando autem ipse Wende-
linus probabit illud suum postulatum toties objectum de dis-
crepantia decreti & executionis? Hæc vice nil addo, nisi hoc
unicum: Aut fateatur Wendelinus Deum esse mutabilem,
sibiq; non constare, aut concedat, decretum & executionem
decreti non discrepare, sed eorum easdem esse causas, eun-
demq; modum.

S. 9.

Hactenus palmarium illud dictum, nunc subnectit B. Pa-
rens duas rationes, quarum priorem *totam concedit* adversa-
rius,

rius, sed subdolè & ambiguè. Respicit enim sine dubio verba saltem & sub iis latitare cupit. Verum etsi Parens meus nudè ita intulerit: Ergò electio non est facta sine Christo; at tamen conclusionem hanc opposuit Calviniseqvis isto tempore omnem omninò respectum Christi ex electione (quam absolutam fingunt) excludentibus. Quòd verò novitii Calvinii defensores linguam corrigant & sanius loqui videri velint, hoc tamen causam illorum morbidam planè nihil juvat. Nam manus quidem est Esavi, sed vox Jacobi; ὅμοια μὲν λαλῶσιν ἀνόμοια δὲ φρονῶσι. In gratiam ergò Wendelini hæc sit collectio: Electio non est facta sine præcedente intuitu beneficiorum Christi, DEUM ad eligendum moventium. Ergò nec sine Christo, ut causa divinam misericordiam ad eligendum moyente & impellente. Antecedens à Parente probatur d. l. Ergò.

Posterior ratio ita habet: *si reconciliatio per Christum facta causa est propositi electionis, erit etiam causa decreti electionis. Prius est.* Ergò. *Min. prob. 1. quia Deus nos non elegit iratus, alias id cederet in nostram perniciem. Ergò placatus scil. propter Christi meritum. 2. quia Deus graviter erat offensus hominum lapsu. Ergò non potuit eorum misereri, nisi prius læsa justitiæ sufficiens reconciliatio decreta esset.* Excipit Wendelinus p. 149. seqq. nos omninò esse electos à Deo irato, nempe peccatores & æternæ damnationis reos, quibus non potest non irasci Deus; non verò sequi, electionem propterea redundare in nostram perniciem. *Etsi enim Deus peccatis nostris erat offensus, tamen ita nos dilexit, ut Filium suum dare pro nobis decreverit Job. 3. unde colligit, nos secundum nostram doctrinam invertere debere dictum illud hoc modo: Deus misit Filium suum, ut nos diligeret, non verò; Deus ita dilexit nos, ut Filium suum miserit. Postea adducit dictum Rom. 5, 8. & ex Augustino ac Calvino monstrare nititur, quomodo Deus nos peccatores diligere potuerit, etiamsi peccatis nostris fuerit offensus.* Resp. 1. Nihil inconvenientius & magis præcipitatum Wendel. no excidere potuit, quàm quòd dicit, nos esse electos à Deo irato, cum electio

Actio sit actus misericordiae & praesupponat dilectionem. Si enim non diligeremus eligendum, non eligeremus dilectum. Et opponimus ipsi *tum* seipsum p. 45. *tum* Zanchium lib. 5. de Nat. Dei c. 2. p. 626. edit. Neostad. an. 98. 2. Concedimus, Deum in electione ratione initii, nequaquam verò ratione actus ultimi considerasse nos peccatores; sed non quia peccatores verum quia miseros. Unde hic recurrit admirandum illud justitiae & misericordiae temperamentum. Ista enim miseria ut causa *ωρενατα ενληνη* externa movit Deum ad miserandum & diligendum, quae dilectio prima causa electionis est: absoluta tamen esse nequit, alias sequeretur Deum nolle puniri peccata & peccatoribus esse propitiū nullā satisfactione acceptā, quod planè Socinianum. 3. Quod attinet locum *Johanniticum*, ille planè huc non pertinet cum non agat de electione, sed de dilectione Dei universali vel primò commiserationis actu, de quo hic nos non quaerimus. Posito tamen rem ita se habere, ut dilectio Dei in tota illa suā latitudine, quā initium & finis nostrae salutis ad eam referenda, accipiat, nostram tamen sententiam dictum illud non oppugnat, nedum ut adversarii *ερελοτητα* propugnet. Non enim ordo invertitur, sed saltem monstratur, quod missio Filii & dilectio Patris sint immediatè connexa & simul sumenda, quia Scriptura alibi meritum Christi praeponebat dilectioni, ut patet ex locò *Eph. 1.* hic vero postponit, saltem ut innuat, quod ordo iste, qui à nobis concipitur, secundum prius & posterius, non fit in re. (Vid. supra § 2. n. 2.) in ipso decreto Dei ratione sui; sed tantum in applicatione ad objectum & ratione nostri, quae de re *Antith.* plura occurrent. 4. In loco *Rom. 5.* itidem agitur de universalitate tum meriti Christi tum amoris divini, non de electione, quae non aequè latè patet, cum respiciat applicationem piorum & perseveranter fidelium. Nec tamen v. 8. sensus obtinet reduplicativus, quod necessarium erat; sed simpliciter dicitur, Deum nos peccatores dilexisse, scilicet quia miseros & per Christum placandos, non quia peccatores. 5. Quod attinet Augustinum & Calvinum, dicentes
Deum

W79

Deum nos amasse, quatenus eramus à Deo creati, verum quidem id est, sed h. l. insufficientis, quia non solum quò creatos generaliter, sed & quò (peccatores) miseros per satisfactionem Christi in gratiam recipiendos specialiter nos dilexit omnipotens. Augustinus etiam statum nostrum in tempore, quando adhuc sub ira sumus, confert cum consideratione prævisionis alterius statûs in quo nos ab æterno Deus dilexit.

Hæc specialia erant pro meriti Christi in electionis decreto intuitu argumenta; pro fide prævisa itidem adducit Patrens meus tum dicta tum rationes. §. II.

Dicta sunt tria:

1. ex 2. Thess. 2, 13. Wendelinus p. 151. *totum concedit. Post negat assumptionem esse in textu, & dicit; sanctificationem spiritûs & fidem referri ad salutem, tanquam necessaria eius antecedentia; non ad electionem, à qua ut causa dependeant illa.* Resp. Wendelinus conclusionem non potest concedere salvâ suâ & suorum Doctorum sententiâ. Si verò ipse & moderni cum Synodo Dordracenâ mentem mutârunt (verè, non saltem verbis) cur ad argumenta nostra nihilominus excipiunt? 2. Glossa Wendelini vult causas salutis in tempore in electione ab æterno non fuisse ut necessaria antecedentia consideratas, quod falsissimum è superioribus patet. 3. Quid verò opus, particulam alienam textui inferere & longè aliter phrasin torquere ac construere, quàm verba patiuntur, hoc modo: ad salutem in sanctificatione spiritus, scil. obtinendam? Nos potius sumimus verba prout jacent, quòd videlicet in electionis ad salutem decreto ab æterno respectus habeatur ad fidem veritatis Evangelicæ ut medium, ad quod in tempore vocati sunt Thessalonicenses per Paulum. Videre potuisset Wend. responsionem Piscatori idem objicienti à B. Parente d. l. datam. Nos monemus potius, ut homines sibi caveant ab ejusmodi violentis glossis, quæ adhortatio est ipsius Calvinii in com. Gen. 1.

§. 12.

2. ex Rom. 11, 20, seqq. Excipit Wendelinus d. l. consequens ipsis non contradicere, nisi fides vel incredulitas statuatur causa electionis vel reprobationis; tunc enim negandam esse consequentiam, cum ab executione ad decretum non rectè procedatur. Resp. Quomodo fides à nostris causa electionis instrumentalis, nempe ut conditio subjecti eligendi prærequisita dicatur, supra in initio quæst. fuit dictum. Consequentia autem est firma, quia ab executione in tempore ad electionem ab æterno optimè proceditur, ut jam toties fuit inculcatum.

§. 13.

3. ex Ephes. 1, 12. Wendelinus d. l. iterum negat consequentiam, si in consequente fidei prævisio statuatur Electione prior; vocem verò *πρόσκλησις* ostendere, Judæos prius quàm gentes vocatos esse, non autem electionem esse profectam ex prævisione fidei. Resp. 1. Consequentia est sat firma: si ii sunt prædestinati secundum propositum Dei, qui antè in Christo sperarunt, id est crediderunt (sicut vox *ἐλπίζω* ita sumitur *Matth. 12, 21. Joh. 6, 45. Rom. 8, 24. c. 15, 12. 1. Tim. 4, 10. c. 6. 17. 1. Pet. 1, 13. c. 3, 5.*) sequitur, quod ad fidem ut conditionem subjecti in electione æterna factus sit respectus. Prius est ex dicto: Ergò & posterius. Ergò omnino ex prævisione fidei proficiscitur electio, ut illius, ad quod respiciens Deus nos elegit. 2. Unde probabitur, nos & vos in textu Apostolico Judæos & gentes respicere? certè Ephesii gentiles v. 3. & 14. pronomine nos & noster quoq; comprehenduntur, ut ita v. 13. specialis applicatio fiat. 3. si vel maximè concederetur, agi ibi de vocatis prius Judæis quàm gentibus; attamen illi ipsi vocati dicuntur prædestinati secundum propositum Dei ad laudem gloriæ suæ, non ex nudo & absoluto Dei proposito; sed quatenus prius sperarunt & crediderunt in Christum v. 12. in quo fundata est electio v. 3. 4. 6. Ergò prævisio fidei nihilominus ingreditur electionem ut conditio ex parte eligendi. Rationes sunt:

§. 14.

1. à notis & titulis quibus electi describuntur. Excipit d. l. Wendelinus totum concedendo: Soli enim ii, inquit, qui in tempore

tempore diligunt Deum, qui credunt & regenerantur, ab aeterno sunt electi, non quia dilecturi, credituri & regenerandi erant; sed ut Deum diligerent, crederent, regenerarentur. Resp. Omnino ii, qui in tempore credunt &c. ab aeterno sunt electi ideò, quia credituri erant, ut fusè docent argumenta Nostratum: notetur insignis ille locus *1. Tim. 1. 16.* Vicissim etiam fatemur, electos esse homines, ut Deum diligerent & crederent in tempore. Priore modo fides locum habet respectu intuitus divini; & quidem prout propositum Dei quoad ultimum Electionis actum consideratur; posteriore modo ratione ipsius actus, prout pars executionis est, salutis tamen collationem præcedens.

2. *à complacentia electorum, quæ radicatur in fide Ebr. 11, 6.* Wendelinus p. 152. *negat, hoc sibi esse oppositum & remittit nos ad præcedentia.* Ad dictum verò respondet, quòd dilectio prima à fide non derivetur, sed saltem innuatur, fidem esse necessarium requisitum aliquod, in iis, qui Deo placent. Resp. Quoad prius nihil item repono præter paulò præcedentia. Quoad posterius hæc nostra est sententia: Si dilectio prima sumatur pro illo commiserationis affectu, quo Deus de remedio nobis conferendo suscepit consilium; nos illam ex fide non derivamus; specialem verò complacentiam in se continere & electionem absolvere negamus. Quòd autem fides sit necessarium requisitum in illis qui Deo placent atque ita etiam in electis, ad quod Deus ex solo suo beneplacito in decreto aeterno respexit, itidem asserimus: modò non requisitum illud vel adscribatur nostris viribus, sed solius Dei dono gratuito, ne Pelagianismus & Arminianismus introducatur; vel quoad intuitum electioni postponatur, ne complacentia Dei ante & sic sine fide contra Apostolum fingatur. Approbamus igitur illa illius verba: *Ut bona hæc non conferuntur nisi iis, qui credunt, sic nec Deus conferre decrevit, nisi iis qui per gratiam suam credituri erant.* Non possumus autem laudare statim subsequè ubi dicit: *non respexit Deus ab aeterno fidem tanquam causam, sed tanquam effectum.* Omnino enim respexit quoque

S. 15.

quoque; eam in intuitu ab æterno ut causam instrumentalem seu conditionem ex parte subjecti eligendi, planè eodem modo, ut illa ipsa in tempore est causa instrumentalis, conditio & necessarium requisitum hujus vel illius salvandi.

§. 16.

3. à Christo, in quo eligimur. 4. à gratia Dei. 5. ab obedientia. 6. ab hereditate. 7. à proposito Dei. 8. à meritò Christi. Has rationes omnes concedit Wendelinus liberaliter quod acceptamus libenter. Nam etsi conclusio non semper ita explicite est formata, prout Wendelinus eam vult esse informatam, tamen illa 1. semper opposita est Doctoribus Veteranis. 2. & facilè etiam potest contra Neotericos dirigi; cum non opus sit, eandem conclusionem semper iisdem verbis apud eos, quibus sententia utriusque partis jam cognita est, otiosè repeti. Quod denuò hinc repetendum fuit.

§. 17.

9. à necessitate satisfactionis. Wendelinus ibid. distinguit inter gratiam Dei primam & ortam à prima. Illam vocat gratuitam Dei dilectionem, quæ motus nos ab æterno elegit & filium misit, de qua agitur Job. 3, 16 & Rom. 5, 8, 10. Hanc verò beneficia per & propter Christi mortem in tempore nobis collata, ut justificationem. In priori sensu falsum esse ac contra Christum & Apostolum statui, gratiam Dei prærequirere satisfactionem: in posteriori veram, sed nil contra ipsos concludi. Resp. Crambe pluries cocta iterum apponitur, de diversitate decreti & executionis, ac si aliter gratia ab æterno in Electione data sit, aliter in tempore in justificatione detur; it. de locis Job. 3. & Rom. 5. unde nihil addo, sed hoc saltem quæro: quomodo gratia prima, quam vocat, cui & electionem tribuit (quæ distinctio cum sit planè nova & efficta, in Theologia meritò est suspecta, cum etiam præsupponat figmentum Molinæi supra §. 5. adductum) possit salvâ Dei justitiâ peccatoribus irasci volente, sine intuitu præstitæ satisfactionis, ullo modo locum habere? Imò locus adductus Rom. 5, 10. potius contra Adversarium facit, quia ibi expressè dicitur, quòd per mortem (& satisfactionem) Filii ejus Deus nobis sit reconciliatus & gratus redditus. Quomodo ergò gratiam Dei non prærequirere satisfactio-

risfactionem dicet Wendelinus, nisi forsan voluerit *σωτηριον* *ζευ*?

10. *ab intercessione Christi pro solis credentibus Job. 17, 20.*
Excipit Wendelinus, negando intercessionem esse causam electionis, & sibi formando alium syllogismum, quem totum concedit, quod scilicet Deus solos eos ad finem destinaverit, nec tamen ad finem destinaverit propter media, sed ad media propter finem. Resp. 1. Major B. Parentis, in qua intercessio Christi ratione intuitus ab æterno facti consideratur; negari nequit, quia intercessio illa nihil aliud est, quam supplicatio Christi ut capitis, quæ meritum suum Patri coelesti offert, ut ob id ab Ecclesia mala avertere, & eidam bona elargiri velit. Ergo quia Deus in decreto prædestinatio respexit ad meritum Christi, ut causam *ωγεννησμενν* impellentem, p. c. ad ejusdem quoque intercessionem respexit, utpote per quam amor Patris & meritum Christi pro nobis præstitum nobis applicatur. 2. Syllogismus ab eo reformatus quoad formam est vitiosissimus, unde quinque termini oriuntur, & Minor propter exclusivam fit negativa. 3. Quod verò subjungit Wendelinus; quod Deus solos eos destinaverit ad finem, quos destinavit ad media, nec tamen ad finem destinaverit propter media, sed ad media propter finem; confundit electionem rerum & personarum. In electione rerum intenditur finis primò & ad illum ordinantur media: Electio verò personarum ad finem fit per media ista constituta. Sic Medicus intendit sanitatem ut finem per medicamenta ut media, non propter medicamenta: & medicamenta ut media præcedunt sanitatem. Ubi etiam necessariò addendum, quod destinatio illa non sit quærenda in consilio arcano & absoluto, sed revelato & ordinato, & p. c. quod illa ipsa media in divina electione se habeant instar causæ instrumentalis respectu electorum quæ propterea voluntati divinæ decernenti in intuitu & præscientia ab æterno ita fuerunt objecta, prout sese in tempore habitura erant in hoc vel illo subjecto actu. Hæc ergo respiciunt applicationem, quam Wendelinus confundit

S. 16.

D cum



cum intentione & destinatione Dei ad finem & ad media universali. Adversariis verò particulari.

§. 19.

11. à *Dei præscientia*. Wendelinus initio dicit more suo solito, hoc non esse contra ipsum, fundamentum tamen rationis esse falsum, quòd scil. prævisio fidei vel decretum ejus conferenda electione prius sit. Postea Pelagianismi & semipelagianismi nos instigulat ob phrasin: prævidit quinam essent credituri. Resp. Jam sæpius dictum & demonstratum est, Deum ab æterno nos elegisse, quia credituros & meritum Christi apprehensuros nos in tempore prævidit, non quod ratione temporis fides in actu posita electionem præcesserit; sed quòd sicut divino intellectu omnia sunt præsentissima *en τῶ νῦν*, ita etiam unico actu divina voluntas elegerit nos credituros seu decreverit ad finem & ad media simul. Ut verò in ipsis rebus successio, ita ratione earundem ordo in divina prævisione locum habet; qui rebus ipsis, prout in actu existunt, exactè correspondet. 2. Nobis autem nostrisq; Ecclesiis cum Pelagianis nihil est commercii, ut qui nullam ex parte hominis causam efficientem, meritoriam, cooperantem, vel ullam aliam dignitatem ponimus: sed constanter asserimus, Deum ex mera sua gratia ob intervenientem Christi satisfactionem nos miseros peccatores elegisse, quos illam ipsam satisfactionem verà fide in tempore apprehensuros esse, prævidit ab æterno. Et quæ sequela: Deus prævidit, quinam essent credituri. Ergò ex propriis viribus id erant facturi?

§. 20.

12. à *gratia particulari*. Wendelinus p. 143. assumptionem negat & nos remittit ad caput ejus præcedens. Resp. Minorem esse verissimam alibi satis probatur & in ipsa quoq; Anthropologia, de quibus potè agere propositi mei non est.

Ita fuit sententia Nostratum proposita & à cavillis adversarii vindicata, sequitur hujus

ANTITHESIS.

§. 21.

Calviniani communiter decretum electionis faciunt absolutum, ita ut causam illius statuunt solam Dei *eudoxiam* & benepla-

neplacitum, sine respectu vel ad Christum vel ad fidem, nisi quatenus sunt illius effecta. Et hic non solum fuit Veterum de grege Calvini hominum terror, sed etiam Neotericorum juxta decretum Synodi Dordracenae & ipsius Wendelini. Hic sententiam suam p. 97. ita proponit: *Cur Deus ex omnibus aliquos saltem ad vitam aeternam elegerit, prater solam suam eudoniam causam nullam habuit, nec fide in Christum vel Christi merito, nec operibus praevisis motus, nec vel illa vel his instrumentis usus.* De quo statu Controversiae ex praecedentibus judicari potest. Illud tamen praetermittere non possumus, quod de instrumentis sub finem annectit; quasi ita absurdi essemus, qui actus divinae voluntatis instrumentis perfici statueremus. Determinantur illi per Dei justitiam & misericordiam, quae ratione complacentiae in peccatoribus sine Christo, quem fides apprehendit (unde organum dicitur) locum habere nequit. Caeterum thema hoc ipse probat variis argumentis, quae omnia videre & examinare institutum meum non est, sed ea solum, in quibus Parentem p. m. perstringere tentat; quorum sunt quatuor: *I. Fides in Christum & missio Christi* (de bonis operibus quae annectit, videant Pontificii, haec nihil ad nos) *sunt effecta divinae voluntatis. Ergo non possunt esse causa.* Respondit ad hoc B. Parens *disp. 14. tb. 30.*

I. ad Majorem dicendo posse rem unam esse & causam & effectum, quod ibid. probat tum exemplis tum testimoniis ipsorum Calvinianorum. Excipit Wendelinus p. 98, seqq. *posse esse rem unam & eandem causam & effectum in genere, sed hic quari de causis efficientibus impellentibus & instrumentalibus.* Resp. Sufficit nobis quod concedit Wendelinus: concessa enim instantia universalitas propositionis corrumpit. Imo liberalis est Wendelinus & γενικως concedit: at si γενικως potest una & eadem res esse causa & effectus, optimam consequentiam procedimus ad singulas species, quod nemo negabit. Nec vero vel absurdum vel contradictorium est, idem posse esse & causam impellentem & causatum impulsam, quia id utrumque dicit Scriptura, ut jam patuit §. 10. n. 3. & mox ulterius pate-

§. 22.

D 2

bit;



bit; cūm præterea exspirent requisita contradictionis, quæ sunt, ut fiat hæc ad idem & secundum idem seu eodem modo & respectu.

§. 23.

2. ad Minorem quadrupliciter respondet B. Parens. Summa hæc est: *Meritum Christi non ratione intuitus divini sed actus in tempore, in electione non personarum, sed rerum seu mediorum populariter loquendo effectum, idq; ratione amoris inclusi dici posse.* Hanc istam responsionem ita conjunctam oppugnare debuisset adversarius, si solidè respondere voluisset; videamus tamen quid ad singula regerat.

(1.) *Meritum Christi & fidem considerari vel ratione divini intuitus.* B. Parens dixit, *qui fuit ab æterno; vel ratione ipsius actus, qui sequitur in tempore.* Illo modo causam, hoc effectum electionis dici, sicut finis à primario agente præconceptus vim causæ habet, & tamen effectum est, si consideretur ut productus. Excipit Wendelinus I. *hæc non facere ad rem, nisi prius probetur, meritum Christi & fidem esse finem electionis.* Resp. Etsi hoc non posset probari, tamen nostræ causæ nil decederet, quia saltem est exemplum & simile, quod debet declarare, non autem confirmare; sufficit, quod illa in aliquo tertio conveniant, scilicet in hoc, quod eadem res sit simul causa ratione intuitus & effectus ratione actus. Deinde meritum Christi & Dei dilectionem sese mutuò respicere Scriptura monstrat, dum dicit: Deum ita mundum dilexisse, ut Filium daret Joh. 3, 16. & vicissim in Filio suo nos gratos habuisse Eph. 1, 4, 5. ex qua permutatione & reciprocatione nonnulli hoc colligunt, quod dilectio Patris & missio Filii ratione sui simul sint, nec à se dependeant, licet respectu nostri ita soleant & debeant distingui ut prius & posterius, ut causa & effectus pro diversa consideratione. II. *Etiam si hoc concedatur, tamen non posse esse causam,* quod probat ex Thoma part. I. *summa* q. 19. art. 5. & ex comm. Ejusd. in ep. ad Rom. Resp. De hoc negotio supra fuit actum §. 4. n. 2. iterum verò falsum nobis imponit. Quis enim nostratum fuit adeo bardus, ut respectu simplicissimæ Dei essentiæ causam voluerit com-

rit comminisci, qui ultrò scimus, quòd Deus intelligat, velit & decernat simplici suâ essentiâ & unico actu sine instrumentis, causis & ejusmodi aliis. Adeò candidè nostram sententiam recenset Wendelinus, & postea crimina falsi, quorum ipse reus, nostris impune objicit. III. *Denuò negat, meritum Christi futurum in eterno decreto ejusdem esse causam, & ad exemplum Parentis primum de lapsu πρωτοπλάτων regerit committi calumniam & crimina falsi; ad secundum de decreto salvationis distingvit inter ipsam salvationem & decretum salvationis, ubi iterum inculcat regulam Thomæ: Vult Deus hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.* Resp. 1. Meritum Christi futurum in æterno Dei decreto causam dicimus eatenus, quatenus Deus in eligendis hominibus (ut jam sæpe dictum) respexit eos, qui in tempore præstitam pro peccatis satisfactionem & meritum illud Christi erant amplexuri. Eodem modo ipsos Calvinianos causam aliquam impellentem in decretis quibusdam divinis non posse non statuere & docere salvis suis hypothefibus monstrant exempla illa in *Anthropol.* Adducta. Ubi 2. nulla committitur calumnia, quia verba illa loquuntur de omnibus omninò Calvinianis tum Sublapsariis tum superlapsariis, quorum aliqui lapsum respiciunt immediatè & proximè, ut prius; aliqui eundem respiciunt, licèt non ut prius, attamen ut posterius & necessarium consequens seu medium, per quod decretum de declaranda misericordia & justitia executioni dandum fuerit. Jam verò, quòd itidem aliqui ex Calvinianis sibiipsis hac in parte contradicentes doceant, Deum maximam hominum partem absque ullo peccati intuitu ad damnationem, imò & causas damnationis destinasse, ex ipsorum scriptis constat. Videantur ejusmodi flosculi collecti à D. Sigwarto contra *Jren. Paræi* lib. 3. cap. 3. art. 6. 3. Calvinianos itaq; statuere, lapsum esse effectum decreti divini patet, quia statuunt (ut toti orbi notissimum est) primos parentes ideò esse lapsos, ut Deus haberet occasionem exercendæ suæ justitiæ, & p. c. hominem necessariò esse lapsum, ob gloriam DEI (quam ipse

D 3

osten-

ostendere decreverat) per hoc medium manifestandam. Nec ab hac sententia immunis est ipse Wendelinus, quando in *Christ. Theol.* p. 196. citat pro illa ipsa Augustinum in *lib. de corrept. & grat.* cap. 10. 4. Nihilominus quandoq; statuunt quidam per lapsum Deum fuisse motum ad decretum reprobationis faciendum. Nam ratio, quam in contrarium affert Wendelinus, cauteriatam prodit conscientiam. Illud enim est, quod nos Bezæ, Martyri & aliis opponimus ac decretum (quod ipsi de Deo fingunt) iniustitiæ & *ωρεσω πολλης* accusamus, eò quòd Deus ille aliquos tantum elegerit, reliquam verò maximam partem in eodem luto peccati hærentem præterierit ob solum suum beneplacitum absolutum. Ergò hoc argumentum Adversarius non nobis, sed suis doctoribus opponit. 5. Nostra sententia hæc est, lapsum fuisse causam extèrnâ vel occasionem irritantem Deum ad miserandum, & proinde ad argumentum illud (si lapsus Deum impulisset ad reprobationem, omnes homines essent reprobatii, quia omnes lapsi) respondemus limitando conexum, si scilicet facta fuisset reprobatio & electio absolutè, at quia remedium omnibus contra lapsum paratum, prævisio intervenit incredulitatis, & impœnitentiæ finalis ex una parte libere repudiantis, & ex altera parte fidei meritum Christi perseveranter ex DEI gratia apprehendentis. 6. In secundo exemplo superior redit coccyismus, dum decretum & executionem decreti facit diversa, quæ de re antea satis. 7. Dictum Thomæ si simpliciter vult tueri, contradicit tum suis sociis, ostensionem iræ, justitiæ & potentiæ Deum ad quosdam reprobandos impulisse contendentibus, tum sibi ipsi, ut supra fuit notatum ex *Christ. Theol.* p. 76. Resp. ad 5. cum quo etiam jungimus ibid. p. 75, ubi approbat verba Zanchii. Thomas autem hoc intendit, quòd nulla detur finalis causa superior respectu ipsius Dei & decreti divini secundum se; non tamen negat, dari in effecto vel objecto, circa quod decretum illud fertur.

(2.) Me.

(2.) Meritum Christi & fidem referri vel ad electionem salvandorum, vel ad ordinationem mediorum electioni inclusam. Priori modo habere rationem causae, quia sine merito Christi fide apprehenso nemo potuisset eligi; posteriori modo sortiri rationem effectus. Ideò enim meritum Christi & fides confertur in tempore, quia Deus ita fieri ab aeterno constituit. Wendelinus p. 101. distinctionem admittit: sed tamen & aliquid circa eam monet & illam ad rem non facere ostendere conatur. Monet, ne praedeterminatio mediorum ordine prior statuatur electione personarum, & quòd rectius praedeterminatio personarum statuatur vel ad finem vel ad media. Resp. Quod attinet priorem admonitionem, vel intelligitur ordo temporis, vel ordo nostrae conceptionis juxta applicationem rerum ad Dei voluntatem. Si prior assentimur & dicimus, haec omnia simul facta esse, quia simul & semel Deus Pater humani generis lapsi misertus & Filii meritum respexit & eos qui in illo per fidem futuri erant elegit; si posterior, non suffragamur, quia ibi praecedit Patris dilectio, sequitur hujus fundamentum, videlicet meritum Christi, & succedit fides meritum illud apprehendens; post demum oritur electio. Quoad posteriorem admonitionem res eodem recidit, nisi ὑπερλόγῳ ἢ foveat de duplici electione ex Molinæo, de qua supra actum in init. §. 2. Sed haec facit transire Wendelinus, respondet potius directè hoc modo: Attamen quæ morbidam ea (distinctio) causam juvet, non videmus. Ideò media salutis causa sunt τῆς ἐκλογῆς personarum, quia nemo ad salutem potuit eligi, quin ad meritum Christi & fidem idem ordinaretur? Sic certè & conceptio & nativitas & educatio causa erunt electionis, quia quos elegit Deus, omnes voluit concipi, plerosq; in lucem edi & nasci. Quidni verò & parentes & locus & tempus conceptionis, nativitatis, educationis partim causa, partim circumstantia? II. Posterius non est causa prioris. Atqui ordinatio mediorum est posterior electione personarum, ut verba habent adversarii. Ergò ordinatio mediorum non est causa electionis personarum. III. Si adversario ita licet colligere: sine Christi merito & fide nemo ad salu-

salutem potuit eligi. Ergò Christi meritum & fides prævisa sunt
 cause electionis personarum. Quidni & nobis ita liceat colli-
 gere: sine electione personarum media ordinari non potuissent: Er-
 gò Electio personarum est causa ordinatorum mediorum. Resp. I.
 Exempla sunt planè ἀποσδιόγου: non enim consideramus
 hîc hominem ut hominem vel creandum vel nascendum &c.
 sed ut eligendum. Non ergò sunt confundenda dilectio
 Dei generalis consistens in creatione, conservatione &c. &
 dilectio specialis in electione, cum qua parentes, locus &
 tempus conceptionis, nativitatis, educationis &c. proximè
 nil habent commercii. Agitur hîc de mediis salutis ipso fa-
 tente: quid ad illa nativitas, parentes &c. annè & illa salu-
 tis media? Et tamen intuitus nativitatis ordine prior est (re-
 spectu ad subjectum habito) ipsa electione. II. in Syllogismo
 limitanda est Major? Posterius eâ ratione, quâ est posterius,
 non est causa prioris. Et sic concedimus totum. Nam ordi-
 natio mediorum dicitur posterior electione personarum sal-
 tem in ordine ad executionem in tempore: at in ordine ad
 decretum divinum ab æterno alium sortitur respectum.
 B. Parens verò priorem partem electionis dixit personarum
 electionem, non ratione ordinis, quem in decretis divinis ob-
 tineat; sed quia propter personas eligendas Dei misericor-
 dia de mediis quasi sollicita fuit. III. Argumentum Au-
 tor malè format. B. Parens ita collegerat: *Sine merito Christi
 fide apprehenso* (quod omittit Wendelinus) *nemo eligi potuis-
 set.* Jam ita formet & suum antecedens ut necessarium præ-
 requisitum includat, v. g. *sine electione personarum precedente
 media ordinari non potuissent:* & oppido falsitas appare-
 bit.

§. 25.

(3.) Dist. esse inter locutiones exquisitas & populares, & sic
 causam h. l. idem esse quod antecedens & effectum idem quod con-
 sequens. Excipit Wendelinus p. 102. Meisnerum esse indeco-
 rum disputatorem, qui non disputet accuratè. II. causam proxi-
 mam & immediatam non tollere remotam & mediatam. III. esse
 contradictionē, dum nihilominus vocetur causa meritoria & impel-
 lens.

lens. IV. Nec tamen si concedatur phrasis illa, nos posse excusari, cum & hoc falsum sit, idem simul esse antecedens & consequens. Resp. I. Accurata terminorum acceptio valet in scientiis humanis, ubi possunt sciri & causæ & affectiones scientificæ: at in Theologia ob mysteriorum sublimitatem & intellectûs cœcitatem hoc acroamaticum loqvendi genus non semper valet, ubi est altitudo ac profunditas divitiarum & animalis homo ἡ δὲ χεῖρα τὰ τὰ πνεύματα θεῶν. Deinde illæ locutiones sunt Veterum Theologorum in doctrina aliàs orthodoxorum, qui propterea non de ponte dejiciendi, sed modeste tolerandi, & (si salvâ veritate fieri potest) excusandi. Quòd verò meritum Christi (in intuitu divino hic consideratnm) accuratè loqvendo causam electionis esse negat; vel B. Parentem hanc loqvendi formulam minùs accuratam vocasse dicit, falsissimum est. II. Petitionem principii committit, quòd electio individui alicujus de ultimo actu accepta sit propriè loqvendo causa remota decreti de mittendo filio, quam Scriptura dicit dilectionem universalem, non electionem particularem esse. III. Propriè & accuratè loqvendo omninò meritum Christi in intuitu divino causa impellens & meritoria Electionis fuit: at qui asserit, electionem populariter dici causam meriti Christi, num priori propositioni contradicit? IV. Unam rem posse esse & antecedens & consequens pro diverso respectu quis negabit? nec alia mens B. Parentis fuit, qui nunquam dixit, uno & eodem respectu meritum Christi dici antecedens & consequens electionis. Scilicet oriuntur hæc ex falsa illa hypothese, qua nos causas istas respectu DEI statuere imperitoribus persuadere vult Antagonista, ut sic Ecclesias nostras orbi exosas reddere possit.

(4.) *Quædam dici de toto quâ totum est; quædam de toto propter aliquam ejus partem.* Sic ergò meritum Christi & fidem effectum electionis dici, non ob ipsam electionem totam, sed ob amorem & gratiam Dei electioni inclusam. Excipit Wendelinus p. 102, seq. per longam seriem & nescius ubi pedem figat, mox phrasin negat, mox admittit; mox etiam negat con-

§. 26.

E

sequen-

sequentiam, mox eandem transire patitur: tandem tamen cramben sæpius coctam iterum apponit, dum ordinem turbat, prius & posterius respectu DEI fingit ac pro contradictoriis habet, quæ tamen pro diverso respectu optimè consistunt &c. quæ cum antea pertractata fuerint, hoc argumentum mitto.

S. 27.

II. *Meritum Christi & fides sunt media ad electionem destinata. Ergò non possunt esse causa.* Respondit Parens p. m. tum per *Evseuov* ab ipsis adversariis concessam (ad quam responsionem cum novi nil adferat Wendelinus, remitto eundem ad superiora, ubi toties negavit consonantiam decreti & executionis, salvationis & electionis &c. item ubi objecit independentiam voluntatis divinæ &c.) tum directe, quòd scilicet *meritum Christi propriè non sit medium electionis, eà jam absolute factà posterius.* Excipit Wendelinus p. 140. seq. I. *Meritum Christi non esse medium, sed internum decretum sine medio factum, interim tamen electionem respicere media Deum verò media ordinasse immediate, Perstringit deinde nostros, II. Electionem nunquam dici absolutam respectu mediorum ad finem destinatorum; hæc enim ipsos semper includere. III. Media non esse ordinata pro omnibus, ut supra monstratum. IV. Apprehensionem meriti non esse causam electionis, aliàs nos Deum ad electionem per movissemus, quòd contra Scripturam. V. Decretum mediorum ordine prius esse decreto electionis esse tum absurdum, quia media nunquam quoad intentionem priora sint sine; tum contradictorium, quia antea dictum, electionem personarum esse priorem.*

Resp. I. Voluntas Dei decernens neq; media neq; finem extra se cognoscit, sed per Dei justitiam & misericordiam determinatur ad objectum; hujus verò respectu media ordinantur, eaq; ut in tempore præcedunt, ita etiam ab æterno prævisæ sunt, ut salvâ justitiâ misericordia finem æternæ beatitudinis homini & destinare ab æterno & in tempore conferre posset. II. Si Wendelinus seriò & sincerè statuit, media ad finem destinata in electione includi, quid ergò opus tergiversa-

versa-

versationibus? Dicat autem nobis, cur decretum illud faciant absolutum quod tamen sine intuitu mediorum perfectum non esse hic concedit ipse? Scilicet media juxta ipsos decretum electionis non ingrediuntur, sed electum jam in decreto constitutum sequuntur. Vid. in init. §. 2. III. Et alibi à Nostris demonstratur, media pro omnibus esse ordinata. IV. Nos Deum ad electionem permovisse non dicimus cum Pelagianis vel semi-Pelagianis; sed hoc dicimus, meritum Christi nos eligibiles reddidisse, Deumque ex mera gratia elegisse eos, qui meritum Christi fide in tempore erant apprehensuri, quia nos non elegit absolute, sed ordinate *et* mediorum ab ipso in Verbo præscriptam observaturos. Confunditur ergo à Wendelino consideratio fidei absoluta, quatenus est opus, cum consideratione relativa, quatenus Christum continet & merum Dei donum est certo ordine ab ipso dandum; quâ solâ ratione decretum electionis ingreditur. Quod verò Scriptura doceat, nos apprehendere media, quia sumus electi, sensu Wendeliniano, ut sine intuitu futuræ apprehensionis quidam absolute electi sint, quibus dein ex absoluto decreto media decernantur & dentur, falsum est. V. Decretum mediorum ordine (conceptionis nostræ) prius esse decreto electionis, non est absurdum. Etsi enim intentio finis prior mediis, non item tamen assecutio finis: at electio est de finis assecutione decretum. Nec etiam est contradictorium, quia electio personarum non ordine, sed dignitate prior dicta fuit.

III. *Causa superior nulla datur nostræ salutis, quàm divinum beneplacitum, quod etiam docet Scriptura Job. 3, 16. Ergo illa non potest esse meritum Christi.* Respondit Parens, beneplacitum divinum esse supremam causam in efficiendo salutem; meritum tamen Christi etiam esse supremam causam in promerendo salutem, ut *et* in movendo *et* impellendo voluntatem divinam. Excipit Wendelinus p. 106. *Causam promerentem etiam pertinere ad causam efficientem.* Non posse ergo hæc distingui. II. *hinc sequi, primam salutis causam efficientem non esse divinam*

§. 28.

voluntatem, sed Christi meritum. III. Voluntatis divinae nullam posse dari causam, quod confirmat testimonio Augustini l. 1. de Gen. cont. Manich. c. 2. & Scholasticorum. IV. Contrariari hoc dicto Job. 3, 16. ubi ordo planè invertatur. Resp. I. Quasi verò efficientis non sint plures species ac modi? II. Oritur hoc perpetuò ex falsa illa hypothese, quâ Wendelinus confundit primum misericordiae actum (non quoad DEUM in sese, sed quoad effectum & objectum distinctè considerandum) qui respexit miseriam totius generis humani & initium consilio de salute suscipiendo fecit, cum ultimo actu salutem huic & illi conferente & decernente. Quoad priorem nequaquam meritum Christi praecessisse dicimus; sed intervenisse & effecisse, ut speciali dilectione eligibiles essemus. III. Rursus dicimus, nullam esse causam in divina voluntate & actu ejus interno respectu ipsius DEI, quo sensu intelligendi Scholastici: interim tamen illa ipsa immutabilis voluntas habet causam finalem vel impulsivam in applicatione & relatione ad extra & ex parte nostri, hoc est, in objectis vel effectis, circa quæ illa versatur. Sic ergò non quæritur: quænam fuerit causa movens in ipsa voluntate divina; sed quidnam fuerit in homine, quod DEUS in eligendo eo respexerit? scil. satisfactio pro peccatis præstita fiducialiter & perseveranter apprehensa. Quod attinet Augustinum, is hoc opponit curiosis & scrupulosis rerum & causarum extra Scripturam sciscitatoribus, non verò sollicitis doctrinæ in Scripturæ revelatæ scrutatoribus. Nam quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda, ne & in illis illiciti curiosi & in istis damnabiliter inveniamur ingrati, juxta Ambros. lib. 1. de vocat. gent. cap. 7. IV. Videatur responsio ad proximè præcedentem n. 2. & patefiet, ordinem non inverti, sed pro diverso respectu utrumq; possè dici; DEUM ex misericordiâ suâ voluntate Christum misisse; & Christi meritum movisse Deum, ut benevolam voluntatem erga electos conciperet.

IV. Fides

IV. *Fides est electionis effectum, non causa Act. 13, 38. Re-* S. 29.
spondit Parens.

1. *Quomodo fides dicatur & causa & effectum, patere è superioribus.* Excipit Wendelinus p. 108. ipsum negasse fidem esse electionis causam, quia saltem causam dixit partis, scil. meriti Christi. *Ac Christi meritum non est ipsa electio.* Deinde illam explicationem h. l. petere principium & contradicere Paulo ait. Resp. (1.) Anné Wendelinus id, quod distinctè, diverso respectu & diversâ ad se invicem consideratione dicitur, vult esse unum & idem? Anné propterea quia fides dicitur causa instrumentalis ratione partis scil. meriti Christi quod apprehendit, non poterit in ordine ad subjectum populariter etiam ita appellari? Et annon conditio partis rectè etiam dicetur conditio totius? Quia ergò fides pertinet ut causa instrumentalis ad meritum Christi, hoc verò rursus ut causa impellens ad electionis decretum, ad idem quoque pertinebit. (2.) fidem ad ἐκλογὴν personarum relatam habere rationem causæ, scil. conjunctam cum merito Christi in divino intuitu, non est petitio principii. Nec enim nudè id assertum; sed etiam efficaciter probatum fuit per rationes solidissimas, quas quidem oppugnavit, sed ex pugnare non potuit Wendelinus. (3.) Apostolum subjungere ordinationi ad vitam τὸ credere ceu effectum, est petitio principii & falsum, ut jam patebit ex dicendis.

2. *Fidem ex h. l. non probari esse effectum, sed potius electionis consequens, ut ita sensus sit: Electi ab aeterno crediderunt in tempore. Electio præcessit, fides sequitur. Non verò reddi-* S. 30.
tur causa, cur pauci crediderint? &c. Excipit Wendelinus d. l. fidem esse effectum electionis, quia electio nil aliud sit quàm ipse Deus eligens. Resp. Decretum DEI activè consideratum esse ipsam Dei essentiam realiter & in sensu identico ambabus largimur manibus: sed num propterea ab eo non poterit distingvi virtualiter ratione effectorum per applicationem ad diversa objecta, ad quæ relatam fidem respiciat vel ut causam vel ut effectum, prout scil. consideratur vel in intuitu vel in

tempore? II. dicit: *Ut in tempore ad electionem fides se habet, ita in aeterno quoque intuitu se habuit. Nec enim aliud Deus fidem ab aeterno voluit aut praevidit esse quam in tempore fuit.* Resp. Concedimus hoc ipsum ultrò & dicimus: sicut in tempore fides se habet ut causa instrumentalis & conditio ex parte salvandi, ita quoque ut talis à Deo fuit praevisa ab aeterno. Scilicet ut praerequisita conditio ex parte eligendi. Quasi verò hinc non possit sub alio respectu considerari ut effectum, scilicet quoad ordinationem mediorum? aut haec sint contradictoria? III. regerit, *causam omninò hic reddi cur pauci crediderint? scilicet illam fuisse ordinationem Dei ad vitam; aut si hoc non sit concedendum, nos transire ad castra Pelagianorum.* Resp. Verba illa non reddunt causam, quia non sunt reduplicativa: sed simpliciter describunt eventum, quid factum sit, non autem cur factum sit. Causa quidem colligitur ex antecedenti ubi Judaei dicuntur ordinem à Deo praescriptum rejecisse v. 46. de causa vero nec agunt verba v. 48. nec veram agnoscit Wendelinus, sed aliam substituit. (2.) Omninò ergò diversitas eventuum, quòd quidam crediderunt, quidam non crediderunt, oritur ex eo, quòd obices fidei (praeter communes omnibus conatos) ex praefracta malitia alii posuerint, alii non item. Nec tamen hinc metuendus est Pelagianismus, quia etsi penes hominem sit non credere; non tamen penes eundem est credere, quòd qui dicit, demum *πελαγισμός*. Summa hùc redit: Conversionis opus ita adscribendum est soli Deo, ut tamen ex homine non faciamus truncum vel lapidem, ideoque Dist. hinc inter mediorum usurpationem & sui ipsius conversionem. Medius uti vel non uti externis potest homo verbum audire (& quidem cum desiderio, exemplo Proconsulis *Act. 13, 7.*) vel non audire &c. ad sui tamen internam conversionem nil confert. Negotiosa quoque potest esse voluntas hominis in repugnando, otiosa verò prorsus est in illuminando. Convertere se non potest, conversionem tamen impedire, sicut v. g. musæum obstruere possum, ne illuminetur, non tamen causa sum
ut

ut illuminetur, quia aliud est, per prohibens effectum impedi-
re vel non; aliud, effectum ipsum producere. Sic etiam
ante conversionem media externa usurpare & impedimenta
seu obices ponere potest homo, & nisi illis utatur vel si hæc
ponat, non convertitur: seipsum tamen convertere nequit.
Scitè hoc comprehendit Ambros. lib. 2. *de vocat. gent.*
Qui veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt, suâ ipsius
pertinaciâ reluctantur. (3.) Habemus autem hîc reum con-
fitemem, dum causam, cur quidam crediderint, quidam non
crediderint, hoc est, fontem electionis expressè facit absolu-
tam Dei voluntatem, seu quòd ad vitam vel sunt ordinati vel
non ordinati. Ita negandus est Pelagianismus, ne vicissim
incidamus in Calvinismum, ut ex dictis constat.

3. *Vocem ordinationis excludere electionem absolutam.* Ex-
cipit Wendelinus p. 110. *hoc ipsis non esse oppositum.* Resp.
omnino hoc oppositum est Calvinianis & ipsi Wendelino ex-
pressè dicenti; fontem fidei hîc ostendi, scil. quòd ad vitam qui-
dam à Deo sunt ordinati vel nò ordinati. Ordinem ergo ad fi-
dem respicientem electionem non includunt, sed postponunt,
ut ex superioribus elucet; Idq; contra textum. Unde repe-
to meritò omissa verba B. Parentis, quibus hanc suam re-
sponsum corroboraerat, quæ Wendelinus tangere no-
luit: Declarant hoc ipsum verba antecedentia: *Audientes au-*
tem gentes gavise sunt & glorificaverunt verbum Domini. Hi er-
gò erant ordinati, qui Evangelium recipiebant cum gaudio,
reliqui istud repellentes suâ culpâ perierunt v. 45. 46. Quia
enim seipsum reputârunt indignos vitâ æternâ, suo utiq; vitio,
non ex absoluto Dei odio sunt reprobati.

Q. 3. An electio sit immutabi-
lis?

Affirmativa est Formulæ Concordiæ & Orthodoxorum,
quorum hæc est sententia; quòd electorum certus à Deo juxta
ejus præscientiam infallibilem constitutus sit numerus, adeò
ut ii,

ut ii, licet excidant à gratia Dei totaliter; nunquam tamen finaliter perire possint, hoc est, etiamsi ad tempus gratiâ Dei actu careant, tamen sub finem vitæ eam certò per fidem in Christum iterum apprehensuri, inq; ea fide perseveraturi ac tandem æternuûm salvandi sint; quem ipsum finem quia Deus prævidit juxta prævisionem decretum etiam fecit *Calviniani* verò electos ex absoluto decreto nullo modo perire posse, se d semper esse & manere in justificante gratia Dei pertinaciter asserunt.

Wendelinus nobiscum immutabilitatem electionis statuit unde p. 158. B. Parentem laudat ac rationes ejus pro eadem *disp.* 16. q. 1. adductas approbat: attamen ad ingenium reliquorum Calvinianorum immutabilitatem illam planè facit *absolutam*, & quæ nullo modo excussionem Spiritus S. patiatur, unde similiter *inter renatos & electos nullum* ponit *discrimen* p. 150. Hoc autem Thema suum contra Remonstrantes & P. Bertium cum primis ingenti nisu adstruit, deinde verò quasi corollarii loco rationes & responsiones Nostratum & inter eos etiam Parentis mei contra Calvinianos *disp.* 19. q. uno allatas aggreditur; quas exceptiones reassumere & excutere (reliquis suis autoribus relictis) breviter conabor.

Et pro nostra quidem sententia de excussione Spiritus S. & excisione à gratia Dei electorum totali d. l. producta argumenta nulla fermè attingit, sed tautum in exemplis tribus nominatim Parentem perstringit, quæ jam ordine videntur.

S. 3.

I. Primum est de *Ninivitis*, qui postquam erant verè conversi *Jon.* 3. 10. in impietatem fuerunt relapsi. *Nab.* 1. Excipit Wendelinus p. 292. & dicit 1. Non omnes *Ninivitas* verè fuisse conversos, abstulisse verò Deum ab omnibus poenam dubio procul propter nonnullos, qui seriam egerunt poenitentiam cum in gratiam paucorum piorum manifestè impiis Deus parcat *Gen.* 18, 32. 2. In certum agi de iisdem numero *Ninivitis* ob temporis rationem. 3. Etiamsi id concedatur; tamen eos, qui arguuntur, fuisse *regocidæ*, qui verè ad Deum nunquam fuerint conversi.

Resp.

Resp. I. Scriptura in genere Ninivitas poenitentiam egisse non tantum Jon. 3. testatur sed & omnes ut poenitentiae verae exemplū producit Matth. 12, 40. Luc. 11, 32. unde ergo comprobabit adversarius, in gratiam paucorum DEUM reliquis peperisse. Sed esto pauci fuerint. Hoc nostrae causae nil officit si enim pauci, siue multi fuerint illi verè conversi, tamen manet hoc, quòd illi pauci postea gratiā DEI exciderint. 2. Nahumum & Jonam loqui de iisdem Ninivitis non est improbabile, nec temporis ratio obstat, quippe cum juxta supputationem Lutheri Prophetae isti vix octo annis à se invicem distent. Nec verosimile omnes tunc Ninivitas priores fuisse mortuos & planè novos subortos. Sed tamen concedit hoc nobis Wendelinus, unde nescio quā fronte postremam addat responsionem. Nam 3. eos fuisse verè conversos dum negat, contradicit & sibi ipsi antea id concedenti & Jonæ, imò Deo loquenti per Jonam cap. 3. 10. ubi expressè dicitur, quòd Deus viderit opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: iam Deus sanè fidem vel conversionem hypocriticam non laudat nec approbat.

II. est de Petro, quem verè fuisse lapsū à gratia Dei, in *Anthropol.* fuit probatum. Negat hoc Wendelinus p. 283. in contrarium objiciens orationem Christi, quā pro ejus fide rogavit. Responsum autem fuit ibid. *Dist. esse inter defectionem totalem & finalem.* Excipit Adversarius rursus p. 284, seqq. hoc contravenire tum Scripturae S. tum scriptoribus Ecclesiasticis. Quoad prius haec sunt ejus verba: *Glossa hac est contraria sacro textui. 1. vox ἐκλείπειν quā Christus utitur significat totaliter deficere: non esse vel habere amplius, quod fueris aut habueris. Unde μὴ ἐκλείπειν actum rei existentis notat continuum, ut similis prorsus locus docet ex Psalmo productus Hebr. 1, 12. Ἐπι σὺς ἐκλείψουσιν, anni tui non deficient, ubi continuationem minimè interruptam notari ex oppositione manifestum est. 2. CHRISTUS non ait, ne deficiat fides tua finaliter sed simpliciter ne deficiat fides tua; siue igitur finaliter siue totaliter defecerit Petri fides, necessario sequitur Christi precatorem fuisse irri-*

um. 3. Si ita fas est Scripturam interpretari, nonne eodem modo cavillari licebit, in nuptiis Cananeis non defecisse vinum, quia finaliter non defecit? At textus ait defecisse. Defectus ergo seu defectio non ad tempus primario, sed ad rem refertur. 4. Promittit Christus Petro victoriam contra Satanam. At quæ hæc fuisset victoria, si fidei scutum Petro Satan prorsus excussisset, eumque subegisset? 5. Christus rogavit pro illa ipsa fide, quæ præditus erat Petrus Christo rogante. Si ergo illa penitus est extincta & alia numero ipsi restituta, utique Christus non fuit exauditus; non enim obtinuit, quod voluit. 6. Nisi fidei semen in Petro reliquum mansisset, ad solum Christi intuitum (Luc. 22, 61.) veram ac salutarem pœnitentiam non potuisset agere v. 62. Pœnitentia enim nisi ex fide proficiscatur, salutaris non est. Non magis, inquam, facti verè & salutariter pœnituisse Petrum quàm Judam, quem non intuitus tantum est Christus, sed & amicè affatus v. 48. Juda, osculo filium hominis prodis? 7. Qui verò posset cum hac apostasia conciliari illud Johannis, Semen Dei manet in eo. Quoad posterius adducit testimonia Tertulliani, Augustini, Chrysostomi, Theophylacti, Lutheri, quem majoris nos facere dicit, quàm sanctos Patres, Bertii & Bellarmini. Resp. ad prius 1. Falsum, phrasin illam (μὴ ἐκλείπῃ) notare & tantum & necessariò actum rei existentis continuum, ut probat locus Luc. 16. 19. Est ergo ἐκλείπῃ vocabulum generale, notans defectionem quamlibet, sive cajam sit totalis sive partialis, aut pro subjecta materia etiam finalis. Nec verò locus Hebr. 1. 12. nostræ parallelus est per omnia, siquidem simplicem immutabilitatem ibidem notat, quæ nulli creaturæ convenit quin & opponitur durationi non continuæ sed terminum habent. 2. Christi precatio non fuit irrita, quia Petrus mansit electus, nec deficit finaliter, etiamsi ad tempus gratiâ Dei caruerit, eaque exciderit totaliter. Hoc enim Christus rogavit, ne Petrus defeciat finaliter, hoc est, si vel maximè laberetur, non tamen maneret in incredulitate, verum statim resurgeret, cum hæc sola perseverans & finalis fides (non temporalis & mutabilis) electum constituat. 3. Non licet ita argumentari, quia illud vocabulum est generale,
nec

nec in specie finalem defectionem tantum significare dicitur: sed semper respiciendum est ad antecedentia & consequentia, ad alia loca parallela &c. ex quibus appareat, quamnam vocis illius significatio in hoc vel illo dicto locum habeat. 4. Hæc etiam est victoria contra Satanam, & eò gloriosior victoria, quando is, qui se jam vicisse & hominem debellasse putat, rursus non sine ignominia ejicitur ab eodem virtute Spiritus S., qui in eo post per fidem perseveranter manet usq; ad finem vitæ. 5. Et sic Christus omninò obtinuit, quod voluit. Rogavit enim, ne fides Petri deficeret; & hoc etiam factum est. Quia etsi ad tempus defecit, tamen ideò etiam non defecisse rectè dicitur, quia eandem recuperavit & ad finem vitæ retinuit, quæ fides ratione subjecti, objecti, causarum & effectorum eadè fuit cum illa quam abnegando amiserat; atque ita Christus omninò fuit exauditus, ut modò dictum n. 2. 6. Petrus sanè per Christi intuitum poenitentiam agere potuit, quia exinde in memoriam sibi revocavit Christi verbum, quod efficax organum fuit, & poenitentiam in eo excitavit ut serio de peccato dolens ad eundem suavissimum suum Salvatorem confugeret: & ita rursus fidem justificantem concepit & Spiritum S. recepit. Quòd verò Judas non eodem modo per Christi intuitum poenitentiam salutarem egit, in causa est, quia Christi ad spectui & verbo obices posuit, ac Satanæ desperationem suggerenti indulgit; quod cum non fecerit Petrus, hinc disparitas oritur. 7. Semen DEI manere in piis intelligitur ἀπολογικῶς & reduplicativè: qui ex DEO natus non peccat ubi quia & quatenus semen ejus manet in ipso: at quod semen expelli non possit hinc non dicitur: De quo dicto infra plura. Ad posterius & quidem Patres quod attinet, loquuntur illi de perseverantia in fide finali, quam & nos Petro concedimus & pro Petro Christus impetravit, ut constat ex dictis. LUTHERUS (quem cum Scriptura loquentem, rectè majoris faceremus, quàm si totus Patrum chorus, quibus honorem debitum nō denegamus, extra Scripturas pronunciaret) impertinèter allegatur,



227
tur, cum reipsa nobis faveat. Verba illius Germanica sunt hæc (nam Latinae Versionis autor ipse non fuit.)
Sihe nur drauff / daß du nicht darvon fallest. Summa, wer an Christo hanget / der hat eitel Gnade vnd kan nicht verlohren werden / ob er auch gleich auß Schwachheit siele / wie S. Petrus / so fern er nur das Wort nicht verachtet / wie etc. Ubi disertè LUTHERUS admonitione sua asserit eos cadere posse, & dein summam hanc facit, quòd Christo adhærens non pereat & qui cecidit itidem non pereat, si verbum non contemnat, per quod Christo rursus jungitur. Tertium in hac quidem causa de sanctorum apostasia laudamus & admittimus ita tamen ut non omnes loquendi modos approbemus. Bellarminus tandem, cum & ab ipso Wendelino contradictionis arguatur, in illo loco nobis scrupulum movere non poterit, cum hoc ipsum in eo sit malæ causæ, scil. primatûs Pontificis, malum indicium.

III. est de *Thoma, qui fuit factus incredulus circa articulum de resurrectione Christi Joh. 20, 25.* Excipit Wendelinus p. 290. *cujus integra verba lubet adscribere; Fidem suam in Christum, passum & mortuum abjecisse Thomam penitus, minime concedimus: nec probari id ex sacro textu potest: veluti nec hoc demonstrari potest, circa articulum de resurrectione Christi planè fuisse incredulum. Et si n. condiscipulis de resurrectione Christi testantibus illicò non credidit, uti textus habet; de resurrectione tamen propterea simpliciter eum desperasse non sequitur. Interim concedimus fidem Thomæ, graviter fuisse concussam, at prorsus exsussam non concedimus: Incredulus verò dicitur, quòd Apostolis de resurrectione jam facta testantibus fidem non habuerit. Si de resurrectione mortem brevi secuturam simpliciter eum dubitasse, imò absolutè eam negasse contendas, probandum fuerit, de ea ante passionem Christi eum fuisse certum. Id verò ex Scriptura probari nequit: in Apostolis sub initium non fuere nisi rudimenta fidei, quæ tamen sua indies acceperunt rudimenta.*

Resp. I.

Resp. 1. Fides in Christum passum & mortuum salvifi-
 cam fiduciam in Messiam prælupponit, quam non habuisse
 Thomam mox videbimus: ast incredulitas fiduciam tollens
 excutit Spiritum S. & tollit fidem justificantem, licet in alio ar-
 ticulo quis fidem retineat historicam. Sic E. Thomas in
 articulo de resurrectione Christi potuit fieri incredulus &
 perdere fidem salvificam ut tamen fidem de Christo passo &
 mortuo historicam non abjiceret. 2. Quod verò circa ar-
 ticulum resurrectionis Christi simpliciter fuerit incredulus, sa-
 tis constat. Thomæ enim incredulitas ex cribratione Sata-
 næ orta *Luc. 22, 31.* à scandalizatione in Christum oves dis-
 pergente incipiens *Marc. 14, 27.* verbum de articulo funda-
 mentali mandato Christi ipsi nunciatum *Matth. 28, 10. Job.*
20, 17. pro deliramento habens & non credens *Luc. 24. 11.*
 atq; non credendi voluntatem in statu contradictorio exag-
 gerans *Job. 20, 25.* fiduciam in Salvatorem omninò sustulit.
Conf. 1. Cor. 15, 14. Unde & reliqui discipuli post Christi pas-
 sionem & mortem ante apparitiones & manifestationes ejus,
 ipsum saltem nudum fuisse Prophetam nec unquam resurre-
 cturum esse putârunt *Luc. 24, 19, seqq.* quem cum non dum vi-
 disset Thomas, in eodem errore permansit: & verba Christi
 v. 27. & v. 29. ac responsio Thomæ v. 28. omninò ostendunt, ibi
 agi de fide salvifica in Christum resuscitatum, quam proin Tho-
 mas antè perdidit, postea verò recuperavit & constanter reti-
 nuit. 3. Fidem Thomæ esse concussam; non excussam, am-
 biguè dicitur. Si intelligit Adversarius de excussione fina-
 li, concedimus; si verò de totali & actuali, negamus & repeti-
 mus modò dicta. 4. Thomas ante passionem Christi certus
 esse potuit de resurrectione secutura ob prædictiones Christi
 factas & sapissimè iteratas, quas cum aliis audivit, & hinc cer-
 tus esse debuit ut sciret eum esse verum Messiam. Messias enim
 non potuisset nos redimere vel suam redemptionem declarare
 & nobis applicare, si à morte detentus fuisset & non resurrexisset
Rom. 4, 25. Et hæc pertinent ad rudimenta fidei, quæ Tho-

F 3

mæ ne-



ma negare non possumus, ut ut defectus imbecillitatis, ipsamq;
tandem abnegationem de eodem asseramus.

ANTITHESIS.

§. 6.

Ita fuerunt argumenta nostra à cavillis Adversarii vindicata: succedunt argumenta contraria Calvinianorum, ad quæ disp. 19. *Antropol.* responsum fuit cum replicationibus Wendelini: Sunt verò illorum 17. quæ tamen non omnia reasumit Wendelinus, sed saltem intermedia undecim, omittens primum & quinque postrema. Hunc ergò *natà pò-*
da jam insequemur. 1. ex Psal. 13. Respondit Parens, *dictum hoc ratione fructus esse oppositum ipsis Calvinianis: Psalter autem loqui de statu felici & prosperitate bonorum, & intelligendum hoc esse reduplicativè.* Excipit Wendelinus p. 163. *dictum hoc illis non adversari, quia justus floreat quidem & fructum det, sed non perpetuò eodem modo floreat & eadem copià fructum det.* Pòst dicit nos forte fidem sine omni fructu & sic insomnium sine somno cum Pontificiis fingere. 2. *Psalter omninò loqui de beatitudine justì spirituali, quam eidem perpetuam esse ipsi ex Psalmo rectè asserant.* 3. *se posse concedere reduplicativam, nos verò contradicere Psalmo, cum hic dicat, justos perpetuò vivere & fertiles esse, nos, justos non esse perpetuò virides.*

Resp. 1. Contradicit hoc Adversariis eatenus, quatenus hoc florere fructusq; hic intelligitur de bonis operibus fidem & gratiam Dei indicantibus. Jam verò, cum ipsi Adversarii fateri cogantur, justum non semper illa bona opera facere hinc sequitur ut cum non semper floreat, non itidem sit censendus in gratia Dei esse, sed ipsum fidem nonnunquam perdere & spiritum S. excutere. Et quando Wendelinus dicit, justitiam sua habere decremента, nempe talia ut flos plane intercidat, contradictionis meritò arguitur. Eo ipso enim, quo justitia habet ista decremента, hoc est, malitia accrescit & justitia decrescit seu perit, Spiritus S. excutitur & gratia Dei

Dei amittitur. Nobis verò cum Pontificiorum figmento de fide à charitate separata seu informi nil est commercii, cum expressè dicamus, fidem nunquam existere sine charitate, quippe quæ illius index; Calvinianorum verò opinio de fidelibus adulteris &c. omnino id subinfert. 2. Justis perpetuam esse beatitatem in peccata etiam contra conscientiam prolapsis non est dogma Psalmistæ, sed figmentum Calvinistæ. Nam 3. reduplicativam esse veram, & hic sententiam illam reduplicativè intelligi monstrant antecedentia. Nam ibi (v. 1. 2.) describitur *vir beatus*, quòd sit *is, qui non abit in consilio impiorum &c. sed in Lege DEI meditatur die & nocte*. Hic jam (v. 3.) *fructum suum dat in tempore & nunquam sterilescit &c.* ubi observanda regula illa Logicorum; ubi designatur causa vel radix, ob quam subjecto conveniat prædicatum, ibi reduplicatio locum habet. Hic autem in vers. anteced. monstrari causam, propter quam viro beato conveniat hoc prædicatum, scil. perpetua florentia & fertilitas, ipsa monstrat *συνέπεια* textus. Ergò reduplicatio hic locum habet: Quæ omnino sententiæ Wendelinianæ contraria est; Si enim Justus quæ justus floret semper; nulla erit contradictio si dicatur, justus amissâ justitiâ non amplius floret.

2. ex *ψ. 37, 24.* Respondit Parens meus, *locum vel intelligi de externis fortune casibus, & sic nihil facere pro Calvinianis; vel de internis animi casibus, & sic notari saltem peccata venialia.* Si verò maximè etiam de peccatis mortalibus intelligatur, ut textus innuere videtur, non tamen esse trabendum ad defectionem finalem, non tamen negari totalem. Excipit Wendelinus p. 164, seq. notari à Davide casus fortune externos, sed non solos, ut probet tum scopus Psalmi tum præcedens v. 23. unde etiam Patres communiter interpretentur de internis peccatis. 2. Esse peccata alia præ aliis enormia, concedi, sed tamen negari, Davidem hic agere de minoribus tantum peccatis, tum ob scopum Psalmi, tum ob comparationem à minori. 3. Verbum *jural* non
fina-

S. 7.

finalem tantum, sed & totam maxime significare abjectionem.

Resp. 1. Quidam propriè & litteraliter Psalmum illum tantum de externis fortunæ casibus loqui volunt, ut ita summa ejus sit pios consolari contra illud tralatitium scandalum; quod bonis in hac vita soleat esse malè & malis contra benè, quia tandem gratæ rependentur vices, ut patet exemplo Jobi & aliorum; adeò ut hic ipse Psalmus jure possit dici epitome & quædam *Συνοψις* libri Hiobi, in quo ex professo eadem ventilatur quæstio, 2. Et hæc sanè est prærogativa piorum maxima, quia etsi impiis contingat fortuna prospera, eaq; diuturnior, tamen illa ipsa est (1.) lubrica & mutabilis. (2.) magis apparens quàm vera. (3.) nec in totum diuturna vel perpetua, cum tandem impii cum gemitu fremituq; discedere cogantur & hujus mundani gaudii vices experiri durissimas. 3. Unde patet, quod similiter etiam vers. 23. ita exponi debeat, ut ne repugnet antecedentibus & consequentibus. Jam verò hæc agunt de prosperitate fortunæ & infortuniiis. Ergò hic solus intermedius versiculus sensum alium habere commode vix poterit. 4. Patribus Patres opponere possumus; Pontificios autem non curamus licet & illorum suffragia nobis non desint. 5. Et hic foret sensus litteralis; interim non negatur accommodatio ejusdem ad peccata, ideoq; hæc invicem non pugnant. Nam Parens meus p. m. voluit omnes conjungere interpretationes & contra adversarios urgere, ut quamcunq; ipsi assumere velint, causam tamen sint prodituri & perdituri. Hæ igitur expositiones non debent nobis opponi, qui de peccatis enormibus & minùs enormibus (nullibi enim fuit exclusiva addita) locum hunc intelligi posse concedimus; 6. Etsi verò & ipsi statuamus nulla esse peccata in se venialia: attamen sunt quædam peccata, quæ conscientiam lædunt, & sic applicationem meriti Christi, ex quo venialia peccata fiunt, impediunt: unde qui in ejusmodi prælapsus est ex justo injustus fit.

7. Nec

7. Nec tamen Ebt. ⁷⁰¹ nobis aduersatur, quia illud non explicamus de deiectione finali tantum; sed de deiectione indefinite, ut nimirum iustus non deiciatur. Si ergo maxime ad tempus aliquando deiciatur totaliter; attamen si in illa deiectione non manet sed rursus eluctatur, non dicitur dejectus scil. ob illam futuram restitutionem & permanentiam finalem: sicq; firma perstat promissio Jehovæ & dogma nostrum non evertitur.

3. ex Psal. 111, 3, 6, 7. Respondit Parens, hac intelligenda esse reduplicative. Deinde explicat phrases istas: manet in seculum, h. e. quoad memoriam Domini, eternam remunerationem & violentam in viti separationem Rom. 8, 35. Wendelinus p. 165. pleraq; plane omittit, sed 1. assumit illud, quod iustitia maneat non solum ratione memoriae, sed etiam ratione actualis existentie. At hoc contra nos non est, qui nunquam addimus exclusivam, sed omnino etiam iustitiam iusti, quamdiu talis est, manere dicimus, imo & electi finaliter; quod ipsum non tollit totalem hujus ad tempus, illius vero etiam finalem deiectionem. Et memoria Dei respicit potissimum perseverantiam in fide finalem, sicut electio etiam facta est secundum prævisionem fidei finalis. 2. Colligit, iustitia, cujus Deus recordatur, actualem in seculum existentiam; cum non memoretur apud Deum iustitia sese avertentis Ezech. 33, 13. Resp. Sed & hac iustitia iusti illius est, cui à Deo dictum, vivendo vives d. l. ac proin cum hac ex objecto aestimanda sint, iustitia iusti habet suam existentiam, & quamdiu habet, apud Deum etiam recordationem ex Dei parte perpetuam habet juxta Psalmistam: sed si interveniat dies prævaricationis, juxta Prophetam v. 12. incidit in Dei oblivionem v. 13. Si accedat dies conversionis v. 12. sequetur etiam juxta Psalmistam recordatio, siq; ista finalis, hæc etiam ex parte hominis erit finalis. 3. Proponit nobis syllogismum, qui tamen oppositus nobis non est, sed Calvinianis ipsis, qui ita habet: Si Deus iustitie iusti reddit præmia in vita aeterna, utiq; finaliter ea non excidit. At verum prius ex assertione Meisneri. Ergo & posterius.

S. 8.

G

sterius.



Perius. Falsum igitur, ullum renatum finaliter deficere. Resp. Subsumtionem concedimus de iustitia sese non avertentis, sed perseverantis vel revertentis; at quæ illatio ad iustum & renatum omnem, etiam se avertentem? directe illa Prophetæ contrariatur. Hujus veritatis tanta vis est, ut confessionem hanc tandem ab ipso Wendelino extorserit p. 265. observandum denique, salvâ sententiæ nostræ veritate, & electos posse dici in vitam alienam degenerare, non quòd penitus à Deo deficiant, abjecto prorsus fidei semine, sed quòd ararum loco labruscas sæpe numero proferant, hoc est, à sanctitatis studio ad peccata devolvantur gravia, quæ & fidem convellunt & Deum gravissimè offendunt, imò ad temporale excidium hæc rarò provocant: ita tamen ut per veram pœnitentiam ad se reducat prius suos, quàm ex hoc mundo migrent.

§. 9. 4. ex Os. 2, 19. Responsum fuit in Anthropol. illud intelligi de tota Ecclesia, à cujus conservatione ad singulorum in Ecclesia existentium salutem non liceat argumentari. Excipit Wendelinus p. 177. concedendo expositionem de tota Ecclesia Electorum. 1. ut & Ecclesia membrum ad tempus deficere posse. 3. Remotos Spiritum S. peccando totaliter aut finaliter perdere, contradicere huic dicto. 4. optimam esse consequentiam à tota Ecclesia ad singula membra.

Resp. Ecclesia Electorum quando dicitur, id non de absolute electis, sed potius cum quadam latitudine de omnibus verè fidelibus accipiendum est. 2. Wendelinus verba mutilatè citat. Dicit: nullum Ecclesiæ membrum ad tempus posse peccare nunquam affirmavimus. At ubi manent verba Parentis mei posteriora: nec peccando Spiritum S. perdere? Num hoc Calviniani non affirmant? 3. Non contradicere dogma nostrum dicto illi ex data B. Parentis responsione liquet. Quod verò Wendelinus ad singulas personas hoc refert, hætenus petitionem principii committit. Nam 4. à tota Ecclesia ad singulas partes non esse consequentiam firmam non poterit negare Wendelinus. Sic de tota Ecclesia rectè dicitur, quòd non possit errare: ann è verò hoc prædicatum

1203
satum de singulis Ecclesie membris verificari poterit? vel
num pollicem forte premere vult Pontificiis de Ecclesia parti-
culari & Romano Pontifice ita colligentibus? Quædam er-
gò prædicata conveniunt Ecclesie, prout est totum heteroge-
neum, quædam, ut est totum homogeneous. Hoc modo
rectè quidem colligitur ad singula membra, sed non illo, ut
patet ex errandi possibilitate.

S. 10.

5. ex Matth. 24, 24. Responsum fuit, dictum istud loqui
de defectione finali, cujus negatio non statim tollit defectionem
totalem, quia aliàs sequeretur, nec ad tempus errare posse electos,
quod tamen demonstrant exempla. Excipit Wendelinus
p. 183. dictum omninò loqui de finali perseverantia & inde rectè
monstrari posse electos totaliter non posse seduci, quia negat Chri-
stus eos posse seduci & seductionis efficacia opponit perseveran-
tiam electorum. 2. concedendo posse electos ad tempus in errorem
induci, non tamen penitus seduci. Resp. 1. In dicto illo sensu
est; quòd impossibile sit, ut electi seducantur, scil. finaliter,
quia aliàs fraudarentur vitâ æternâ, ad quam tamen secun-
dum Dei propositum sunt vocati Rom. 8, 30. Quòd verò intel-
ligatur seductio non totalis, sed finalis patet tum ex v. 12. ubi
possibilitas defectionis clarè adstruitur, tum ex eodem argu-
mento, quo suum errorem probare vult Wendelinus, scil. ex
oppositione. Opponuntur enim Pseudoprophetarum
ἠλαλή & electorum ἰσομοιή vers. 11. & 13. ut autem per
hanc intelligitur finalis constantia Matth. 10, 22. ita per illam
intellig. finalis seductio. Ita ergò electi seduci posse negan-
tur, ut tamen multorum charitas refrigerare possit. 2. Pe-
nitus seduci est vel idem quòd in errorem induci vel in errore
manere, prius est totaliter, posterius finaliter seduci. Cùmq;
prius tandem ipse Wendelinus de electis concedat, conce-
dat quoq; hoc respectu electos penitus seduci: qui enim in
errorem inducitur, utiq; penitus eo ipso à veritate discedit
& seducitur.

S. 11.

6. ex Job. 4, 14. Responsum fuit, dist. esse inter ipsam aquam,
quæ ex se semper sitim tollat; & aquam bibentes, quorum culpâ

G 2

contin-

contingat ut ista aqua virtus desinat. Declaratur ibid. similibus. Excipit Wendelinus p. 187. indignando & dicendo, non queri, qualis in se sit aqua, sed quid in iis efficiat, a quibus semel est hausta, scil. quod nunquam sitiant. Quod ergo Meisnerus affirmat, id negare Christum. Deinde simile de aqua medicata non posse accommodari, quia quod presupponit Meisnerus, id neget Christus; nimirum aquam illam non posse expui.

Resp. 1. Non quarimus nodum in scirpo, sed dicimus, quod res est. Aquæ enim terrenæ virtus etiam si hauriatur & retineatur evanescit: aquæ vero cœlestis virtus si hauriatur & non rejiciatur non evanescit. De hausta & retenta aqua loquitur Christus; Vulgaris siquidem aqua si hauriatur & non retineatur ne ad tempus quidem sitim depellit. Haustam vero aquam vitæ plane expui non posse Christus hic nequaquam dicit. Nam 2. non esse impossibile hoc probant dicta alia parallela, (quæ proinde sunt conjungenda, non autem sibi opponenda) ubi admonemur, ne gratiæ Dei resistamus vel donum cœleste rejiciamus & nos ipsos vitæ æternæ indignos reddamus &c. Hæ sanè admonitiones forent expelvi fulgura, si non gratiam Dei irritam facere vel rejicere, hoc est, vividam illam aquam expuere possimus.

7. ex Job. 14, 16. Responsum fuit, hoc potissimum attinere Apostolos, deinde si ad omnes fideles accommodari debeat, intelligendum esse reduplicative. Excipit Wendelinus p. 204. partim remittendo nos ad antecedentia, partim addendo calumniam & commiserationem. In antecedentibus autem dixerat, quod hæc promissio non pertineat ad solos Apostolos quod probat à contrario ex v. 17. & quod mandatorum divinarum observatio effectum sit hujus consolatoris (qui non invenit, sed efficit in nobis sanctitatem) cujus perpetua mansio promittatur fidelibus.

Resp. 1. Litteraliter & primario agitur hic de solis Christi discipulis, quibus Christus Spiritum S. promittit in festo Pentecostes exhibendum, qui ipsos tueatur, consoletur, adhortetur &c. postquam ipse cum eis non amplius visibiliter

conver-

conversari potuit. Quod verò attinet rationem Wendelini contrariam, ibi sciendum, quòd in cap. 13, 14, & seqq. quædam de discipulis Christi dicantur vel quæ discipulis & Apostolis quæ propterea ad eos solos pertinent; vel quæ Ministris V. rbi, quæ omnibus N. T. Doctoribus dicta sunt; vel quæ fidelibus, quæ ad totam Ecclesiam spectant & quædam quidem ratione totius, quædam ratione singulorum membrorum eidem conveniunt. Hæc ergo sibi invicem non sunt opponenda, sed juxta antecedentia & consequentia, scopum capitum, loca parallela &c. æstimanda. 2. Secundariò hinc ipsum jam citatum v. 16. accommodamus ad omnes fideles & ibi urgemus reduplicativam, quam Wendelini responsio non tollit. Sive enim mandata observemus ex nostris viribus (quod tamen nequaquam concedimus) sive ex gratia consolatoris: attamen nobis sufficit, quòd negare non possit Wendelinus, nos semper mandata Dei non observare, imò sæpe contra illa agere & p. c. Spiritum S. non semper in piis operari, sed crebro ab iisdem per mandatorum omissionem auferri & expelli concedere cogatur. Ergò necessariò reduplicativa hic vigeat, ut de discipulis quæ talibus id accipiendū sit. 3. Calumniatur verò ipse Wendelinus, cum nos Spiritum in fidelibus non rejiciamus, sed illum ipsum causam perseverantiæ dicamus, & nequaquam in nobis potissimum perseverantiæ causam quæramus; simul tamen eundem a nobis expelli negare non possimus. Perseverant omnino electi, quia datur Spiritus. At hic non datur absolute, ut Calviniani somniant, sed per certâ mediâ, per quæ ut acquiritur, ita & conservatur: extra & contra quæ ut non admittitur, ita & expelli potest & sæpe expellitur; & p. c. eatenus sumus fideles, quatenus spiritus nobiscum manet, & eatenus spiritus nobiscum manet, quatenus sumus fideles.

8. ex Rom. 11, 29. Responsum fuit i. *Deum donis suis semel concessis non privare nos, sed nosmetipsos iis nos privare per peccata.* Excipit Wendelinus p. 213. quòd presente divinâ gratia voluntates efficaciter movente, quam fidelibus nunquam subtrahat Deus, donis semel concessis se privare nequeant fideles,

G 3

quia



20
gratia nolunt: ut nolunt, Dei facere gratiam; nec homines sese ali-
ter iis privare quam quod Deum ut privet compellant, unde Dei
& nostram privationem hic non posse opponi. Resp. (1.) Nititur
falsam hypothese, ac si dona Dei hominibus dentur absolute,
nec ab iis auferri possint, quicquid etiam agant, quod tamen
impossibile esse & falsum, est in propatulo. (2.) Vox gra-
tia efficaciter moventis suspecta esse videtur, ac si etiam danda
sit gratia minus efficax ex parte Dei, quomodo alias Calvinia-
ni distinguunt inter sufficientiam & efficientiam vel effica-
ciam, ut notum. (3.) Fideles se non posse privare donis
concessis, est petitio principii. Sanè quoad nolunt, iis non
privantur, quin & ut nolunt, divina facit gratia: non tamen
per modum violentæ actionis, sed cum libertate homini reli-
cta, ut possit se à gratia illa avertere, cum confirmatio in bo-
no alterius vitæ donum sit. (4.) Unde ipse dat velle &
perficere, sed tamen conditionatè, quia etiam vult, ut homo
non repugnet gratiæ Dei & Spiritus S. media non rejiciat.
(5.) Privatio Dei duplex statui potest: una, quæ à Deo sim-
pliciter sine hominis culpa proficiscatur, altera, quæ hominis
culpam sequatur. Prior privationi hominis opposita est &
ad sensum Paulinum explicandum sufficit. II. Responsum
fuit, dona Dei esse ἀμεταμελήτα, sed non absolute quæ ut per fi-
dem accipiuntur, ita per incredulitatem per dantur. Excipit
Wendelinus d. l. i. Media illa huic ἀμεταμελεία subordinari,
si ergò ea Deus in nobis conservat per verbum, utiq; & elabi non
patitur. Resp. Redit eadem exceptio. Subordinantur me-
dia ἀμεταμελεία; verum non irresistibiliter & absolute sed
mutabiliter (ut dictum) quibus mutatis ipsa quoq; immuta-
bilitas in se talis manens mutatur in objectis seu secundum ac-
cidens creature, ut loquitur Cyrillus. 2. primariam conversio-
nis causam esse Spiritum S. qui per verbum fit efficax ea electos pe-
nitens aberrare non patitur. Resp. Concedimus hoc ultro
& dicimus; Spiritum S. esse causam principalem, verbum ve-
rò instrumentalem quoad effectum spiritualis gratiæ, ejusq;
conservationis: sed tamen observandum, ne Spiritum S. à
Verbo

Verbo sejungamus vel utriq; diversas actiones tribuamus, sed
potius utrumq; jungamus ne ineauti incidamus in
Schwenckfeldianismum. Quòd verò Spiritus S. electos peni-
tius aberrare non patiatur, si de totali aberratione seu in er-
rem inductione (ut suprâ Wendel. loquebatur) accipitur
falsum; sin. de finali juxta prævisionem DEI ab æterno in ele-
ctis considerata, cum restitutionem concedamus, alienum est.
*3. minus accurate dici dona illa ἀμεταμέλητα accipi per fidem,
quod tamen falsum sit de ipsa fide.* Resp. Notum est ex Lo-
gicis, quòd in propositionibus, in quibus universale omne
subjecto singulari tribuitur, semper excipiendum sit ipsum
subjectum. Sicut ergò v. g. malè dicitur: cœlum tegit o-
mnia. Ergò se quoq; tegit, DEUS creavit omnia. E. se
quoq; creavit &c. ita etiam malè colligit Wendelinus: per
fidem omnia dona DEI recipiuntur. E. etiam ipsa fides.
Cæterum nihil hoc contra B. Parentem, cujus hæc verba:
*Dona DEI sicuti per verbum dat, ita per verbum conservat: &
sicuti per fidem accipiuntur, ita per incredulitatem perduntur.* Ad
hoc respondere debuisset adversarius; cum non potuisset,
ad sophisma hoc confugere voluit. III. Responsum fuit,
*Dona Dei esse ἀμεταμέλητα respectu Dei, fieri tamen pœnitentiâ
digna ex parte nostri.* Excipit Wendelinus p. 214. (1.) fal-
sum hoc esse, quia aliàs sequeretur donis gratiosis, & spiritali-
bus præ corporalibus, quæ fidelibus & infidelibus sunt communia,
nullam hic tribui prærogativam, cum & illa hoc sensu ἀμετα-
μέλητα dici possint. Sic verò nihil solatii ad abjectos Judeos
redundasset. Resp. Quod attinet dona corporalia illorumq;
ademptionem non est par ratio inter illa & spiritalia, quia
hæc formaliter pendent à fide & incredulitate, illa verò et-
iam à causalibus: unde nonnunquam à sanctissimis (in com-
paratione) Viris auferuntur, & è contra minus sanctis con-
ceduntur. Interim possunt & illa dici immutabilia respectu
Dei, mutabilia autem esse in se & fieri respectu nostri. Sola-
tium pro Judæis ex primario scopo Apostoli omninò peti
potest: quod nimirum Deus non ducatur pœnitentiâ ut promis-
sionem

honorem patribus factam nō impleat, si modo filii eorum fide recipiant. (2.) non quæri, an dona Dei electorū propria pœnitentiâ fiant digna, cum & renati peccata in se morte digna committant, sed, an Deus eorum ducatur pœnitentiâ? Hoc, nō illud in textu negari. Resp. Nescio, an hæc serio proferat Wendelinus. Concedit enim, renatos ea committere peccata, quæ morte æternâ & pœnitentiâ sunt digna. Si hoc verum credit Wendelinus, necessario etiam credet & concedet, per illa peccata, saltem eo tempore quo in iis sine pœnitentiâ hærent, expelli Spiritum S. & amitti totaliter gratiam Dei, ac p. c. contra nos pugnans seipsum oppugnabit, aut errabit illum illorum errorem, qui volunt Spiritum S. absolute non posse ab electis tolli etiam quando mortaliter peccant, ut jã antea dictum. Nec verò dicimus, a Deo non auferri sed saltem ab hominibus illa dona contemni, negligi abjici. Nequaquam: omnino ab ipso DEO sed ob culpam nostram auferuntur, cum tamen ex intentione DEI perpetua (conditionate tamen) esse deberent. Iterum excipit Wendelinus & nos remittit ad anteced. de donis corporalibus, quæ possunt dici auferri ab ipso Deo ut causa; & urget petitionem sanctorum. Resp. Et Wendelinum remittimus ad antecedd. ubi iidem dictum, quod sit dispar ratio donorum corporalium & spiritualium, & quod non ipse DEUS ejusq; decretum mutetur, sed quod mutantur homines, hoc est, ipsi fiant impœnitentes & increduli, ac p. c. amittant Spiritum S. gratiam Dei ac fidem, Unde ipsa oratio sanctorum tantum abest ut pro Adversario faciat, ut potius mutabilitatem sanctificationis, seu possibilitatem totalis extinctionis a gratia Dei clare adstruat.

S. 14.

9. ex 1. Cor. 13, 8. Responsum fuit, quod non agatur de perpetua & non-interrupta Charitatis duratione in renato mortaliter peccante, sed de altera vita. Excipit Wendelinus p. 219, seq. & Opponit nobis Chrysostomum deinde urget verba, quod nunquam cessare dicatur: quod ulterius colligit ex oppositione de prophetis & linguis. Tandem id probat ex ipso contextu, & addit oppositio p. a.

Resp. 1.

Resp. 1. Quod attinet Chrysoftomum, in eo agnoscimus
 piam accommodationem, in supremo caritatis gradu ra-
 tione objecti aliàs adversi, describendo, non vero textus de-
 pravationem; cujus meritò insimulamus Calvinianos, qui ex-
 inde argumentari volunt pro dogmate, quod Scripturis est
 contrarium. Ideoq; hìc valet illud: Duo cùm faciunt idem,
 nō est idē, quia faciunt diverso fine & intentione. 2. Pronun-
 ciato illi sua perstat veritas, si vel maximè concederetur, sine
 respectu ad subjectum, etiā caritatem in hac vita perpetuā non
 esse Charitas n. nunquā cessat, licet in hoc vel illo subjecto in
 hac vita actu cesset: manet enim in se seu in abstracto. Ratio
 hujus expositionis constat, quia Apostolus non subjecta subje-
 ctis vel concreta concretis, sed dona donis vel virtutes virtu-
 bus opponit. Nam affirmare cogitur Wendelinus, electos
 quandoq; ardescere, quandoq; invidere, quandoq; temerè
 agere &c. At hæc omnia de charitate negat Apostolus. 3.
 Quod durationis prærogativam, quoad prophetias & linguas
 attinet expressè D. Paulus hanc durationem ad vitam futuram
 refert in hâc cessaturas esse linguas, cognitionem &c. non au-
 tem charitatem, pronuncians. 4. Quod attinet contextum, ad
 illum jam fuit responsum, quòd intelligatur de charitate in se
 & in abstracto. 5. Unde sequitur, quòd contra totalem electo-
 rum (in concreto) excisionem nil præsidii hìc inveniatur.

10. ex 1. Job. 2, 19. Responsum fuit, *Fideles non errare seu* S. 15.
à fide deficere esse contra experientiam ideoq; non esse sermonem
de fide, sed de doctrina Evangelii, absolutam verò deficiendi im-
possibilitatem non posse intelligi ob additas comminationes & ad-
monitiones. Excipit Wendelinus p. 231, seq. 1. *dist. inter er-*
rare & à fide deficere. Resp. Distinctio hæc est nulla, quia eo
 ipso, quo error renatis conceditur si in fundamento sit,
 defectio à fide simul negari nequit. Pergit Wende-
 linus: *Pro candido suffragio magnas huic Doctori gratias*
agimus & ex eo sic colligimus: Vera vera Ecclesia membra & E-
vangelica doctrina cultores genuini in doctrina Evangelica con-
stanter permanent. At omnes verè fideles sunt vera Ecclesia mem-

H bra



bra & Evangelica doctrina cultores genuini. Ergo &c. Falsum igitur est, aliquos non permanere, à fide totaliter & finaliter deficiendo. Resp. Gratia Wendelini sunt indebita ac indecora seu frustranea. Aliud enim est loqui de doctrina Evangelii seu fide historica; aliud de fide justificante. Illa respicit doctrinam; hæc justitiam & salutem. De illa loquitur Parens, de hac Wendelinus. Ab hac potest fieri defectio, ut tamen illa permaneat salva, licet non vicissim. Præterea Major non est Parentis, nisi reduplicativè accipiatur: loquitur enim de hypocritis, quibus vera Ecclesie membra utiq; quæ talia opponit.

§. 16.

11. ex 1. Job. 3, 9, 10. Responsum fuit 1. *locum hunc nec pro ipsis facere Calvinianis, quia excluditur omne peccatum.* Excipit Wendelinus p. 246. *negando illud & probando testimonio Arminii, quem Apostasia fautorum Patronum appellat.*

Resp. Calvinianos Lutheranis hunc locum opponere quis negat? Sed jure hoc non fieri, verum eo ipso illos contradictionis esse reos asseritur & probatur etiam, quia D. Johannes dicit: renati non peccant. Hoc autem negant ipsi met Calviniani, ut Witackerus in Anthropol. citatus & Wendelinus passim dicentes; renatos posse peccare. Ergo nihilominus dictum illis ipsis manet oppositum. Arminius quidem nihil ad nos, ut qui nec ejus sumus discipuli, nec Apostasia (quamvis nec ipse) Patroni: quod verò is paradoxa nonnulla Calviniana vidit, in eo meritò à nobis laudatur, modò & in reliquis veritatem à nostris defensam secutus fuisset. 2. *intelligendum hoc esse reduplicativè.* Excipit Wendel. ibid. *concedendo & exinde immutabilitatem concludendo, quia renati, dum renati, sedulo caveant peccata & quia (quod indignabundus addit) semen Dei maneat in eis.* Resp. Responsio hæc petit principium & nihil facit ad rem. Non dicimus, renatos quæ renatos vel pios quæ pios peccare, hoc enim manifestò implicat: sed in renatis residuam etiam carnem agnoscimus, quæ si prædominetur, renatus potest ad tempus gratiam illam regenerationis perdere, & tunc non manet renatus. Unde illud

(Semen

(*Semen Dei manet in eo*) ipsam reduplicativam monstrat, quia causa & radix ostenditur, ob quam prædicatum conveniæ subjecto. Sicut enim v. g. dico: homo fuit immortalis, quia & quatenus fuit integer ac vicissim &c. ita etiam h. l. homo sanctus non peccat, quia & quatenus in eo manet (vel non expellitur) semen DEI, id est, Spiritus S. & vicissim. 3. *invariabilem spiritus in habitationem ipsi contradicere Johanni v. 15. homicidas, quales & David, excludenti.* Excipit Wendelinus p. 249. *negando contradicere, cum David & alii renati non fuerint tales homicidas, qui vitam æternam in se manentem non habent.* Resp. Apostolus in genere loquitur de omnibus homicidis aliàs argumentum ipsius dehortatorium esset inefficax. Nec verò Apostolo contrariatur, ut qui ad tempus ob homicidium perpetratum vitam æternam in se manentem non habet, per poenitentiam eandem adipisci rursus possit. 4. *per vocem peccandi intelligi peccata malitiosa contra conscientiam perpetrata.* Excipit Id. d. l. *responsionem in se ipsis non ad-versari, sed paraphrasin inde oriri non satis idoneam; nec verò opus esse, ut ipsi hujus loci interpretationem à Lutheranis petant.* Resp. hæc esto paraphrasis: Renati quã carnem adhuc adhaerentem habent, peccant quidem ex infirmitate; sed spiritu continuante poenitentiam, ex gratia regenerationis non excidunt: at mortaliter & contra conscientiam peccare, quã renati & quã diu renati, non possunt, sed gratiã regenerationis excidunt. Nostras autem interpretationes num recipere velint, ipsis liberum relinquimus; attamen monemus, ut sensum Scripturæ ex ipsis Scripturis potius venentur & auferant quàm inferant, nec cogant id dictis contineri, quod ante

Lectionem persenserunt intelligendum esse, juxta monitum Hilarii lib. 1. de Trin.

cap. 7.

H 2

L. 4.

Q. 4. *An electi certi esse possint
de electione sua?*

De certitudine Electionis Orthodoxa est sententia; quod quilibet electus in individuo de divina gratia infallibiliter certus esse possit in presenti ex ipsa actuali meriti CHRISTI apprehensione; quoad perseverantiam vero certitudine ordinata, ut nullam dubitandi causam habeat. Wendelinus tract. d. Calvinianos simpliciter certos esse posse vult ostendere; nos vero cum Remonstrantibus nifu prorsus irrito id conari. At falsissimè. Præter alia Nostratum scripta illud ipsum patere potest ex *Anthropol.* disp. 18. q. 4. quam itidem in hoc puncto aggreditur Adversarius. In illa Parens meus duo præcipuè probare voluit. 1. quod Lutherani sint certi. 2. Quod Calviniani sint dubii & fluctuantes.

§. 2.

Quoad prius distinguit inter tempus tranquillæ & tentatæ conscientia.

Quoad illam facilis est confirmatio *ex ipsa actuali fide & constanti à peccatis mortalibus abstinendi proposito.* Excipit Wendelinus p. 471. quod aut intelligatur de fide & proposito presente, & sic esse fallacem collectionem, quia fides reprobis etiam communis esse dicatur; aut de fide futura & sic itidem non esse firmam; quia statuamus & multa afferamus exempla, ubi fides ista exspiravit. Resp. Assumo utrumq; Quoad fidem præsentem certitudo planè est ἀμετάπτωτος; quod verò illa etiam communis est reprobis, certitudinem non tollit. Ratio, quia fides reproborum est temporaria, non perseverans & terminativè permanens; at electio respicit vitæ terminum seu finem; ac proin reprobis non ratione illius presentis actus, quo fidem, licèt temporariam habet, reprobus est, sed ratione futuri, quo à fide deficit; quod si priorem statum continuasset, reprobus factus non fuisset. Quoad fidem futuram itidem est certitudo, licèt ea (ut vult Wendelinus) non sit absoluta, interim certus esse potest conditionaliter, si scilicet verum habeat propo-

propositum perseverandi in fide & ordinariorum mediolorum continuatione, hoc pacto: ego per DEI gratiam media usurpans constanter me in fide permanfurum scio. Nec turbant eum exempla *ωγομαίγω* qui scientes volentes Sp. S. restiterunt, quod intermittere in renati potestate est. Ergò ἐπιτοχή Academica & Papistica nobis malè tribuitur, quia differunt 1. dubitare. 2. opinari. 3. absolutè scire. 4. certò scire.

Quoad hanc difficultas oritur, *quia etsi tentatus propositio-* §. 3.
nem universalem concedit, maximè tamen haret in subsumptione. Excipit Wendelinus p. 372. *tentatum etiam hærere in propositio-*
ne, quia juxta Lutheranos multi reproborum credant. Resp. Propositionem illam nobis non esse universalem dum dicit Wendelinus, mentem Nostratium pervertit, quia illi intelligunt finaliter seu terminativè credentem, ut docent ipsa verba Parentis d. l. & confirmat Scriptura *Matth. 24, 13.* Sic ergò ab hac propositione: Omnis finaliter credens est electus, excluduntur reprobi & manet illa universaliter vera.

Difficultas omnis ut tollatur, respiciendum est ad sub- §. 4.
sumptionem 1. *fidei*, ad quam Wendelinus p. 373. dicit, *frustrà*
de illa laborari, quandiu fides vera cum reprobis statuatur com-
munis: nec Deum gratiã omnes complecti, nec verbum & Sacra-
menta eadem operari. Resp. Operam perdit Wendelinus, dum denuò confundit fidem finalem ac perseverantem cum fide temporaria; & reprobum ita considerat, prout fidem habet, non prout spontè abjecit. Gratiam DEI nemini absolutè negari, & quendam ejus gradum universalem esse, verbi & Sacramentorum etiam (nisi impediuntur) operationem eandem esse, alibi à Nostris probatum est. 2. *perseverantia*, quæ (ut antea dictum) est ordinata, sed firmissimè superstructa *fundamentis quinq;* in *Anthropol.* adductis, quæ conjunctim sumere Wendelinus debuisset, atq; ita responsum adornare: ex omnibus enim prioribus junctim sumtis certè conclusio Parentis est deducta. Sed tamen nihil aliud responderet p. 373, seqq. quàm *quòd fundamenta illa in se sint firma, sed juxta hypotbeses nostras vacillent, quia multi fuerint impeniten-*

H 3

tes

res & reprobi, qui fidem actu perdididerint: quod effugium modò
est refutatum. Propositum scil. à peccatis abstinendi de-
bet esse constans, perpetuum, continuandum ac terminati-
vum &c. quod optimè stare potest & cum electorum excision-
e à gratia in tempore & cum reprobatorum ἀποστασίῳ fide
temporali. Quæ enim hæc juxta mentem Adversarii egregia
est collectio: Quia hic vel ille non retinuit fidem salvificam per
determinationem voluntatis negativam & positivam Sp. S.
resistens. Ergò neq; ego neq; alius, qui tamen à Sp. S. inha-
bitante satis virium habemus ad posse & velle, fidem retinere
possumus. Idem est, ac si ita vellet nos argumentari Wen-
delinus: Quia quidam voluntariè peccatis & impœnitentiâ fi-
dem amittunt & in tali impœnitentia moriuntur ac damnan-
tur absq; salutari conversione. Ergò & ego peccabo & pec-
catis amittam fidem ac sine salutari pœnitentia, moriar & non
salvabor. Apage hunc onerosum consolatorem!

S. 5.

Quoad posterius ostendit, tum in genere Calvinianos
non posse esse certos, tum in specie modos certitudinis ab
ipso Zanchio præscriptos esse fallaces & lubricos.

Calvinianos non posse esse certos probatur.

1. ex particulari absoluto & arcano decreto; quo fingunt,
Deum elegisse paucissimos ex sola voluntate absoluta, sine fidei re-
spectu: at sub hac propositione nulla firma fieri potest subsumtio
de hoc vel illo tentato. Excipit Wendelinus, vocando illam
assertionem temerariam, & dicendo propositionem esse falsissi-
mam ac collectionem ineptam, quia non ex electione, sed ex effe-
ctis & aliis certitudo desumatur: post objicit per calumniam de
ipsis dici, quòd omnem respectum fidei excludant.

Resp. (1.) falsissimè Wendelinus propositionem falsita-
tis insinuat. Præsupponimus enim, quòd sit quæstio de
tentato & dubitante, qui certus reddi debet, quòd sibi etiam
gratia Dei sit data & oblata ad recipiendam fidem, remissio-
nem peccatorum &c. Talis ergò subsumere nequit, se ad
gratiam pervenire posse, nisi prius subsumere possit, se non
esse ab æterno in miseria derelictum, sed sibi quoq; gratiam in
Filio

Filio Dei oblatam. Hoc autem nullus Calvinianorum firmiter vel ipse facere vel aliis faciendum monstrare poterit, stante hypothese de absoluto decreto & paucorum in gratiam receptione. Ibi vel ipso Piscatore disp. de predest. th. 83. teste hæc exurgit collectio: *gratia nonnullis offertur animo communicandi. Ergò fieri potest, ut & ego sim electus.* Sed quid si tentatus colligeret. Fieri potest, ut ego non sim electus? Unde tunc certus reddetur? Hæc ergò nostra est illatio: Calviniani electionem occulto decreto involvunt. Ergò nullo modo de eâ possunt esse certi. (2.) Nec verò certificari potest ex effectis, testimonio interno &c. talis tentatus, nisi prius certus sit de receptione in gratiam, quòd ad se quoque pertineat; si jam in hoc puncto conscientie fuit satisfactum, tunc indubitato subsumit, reliqua etiam consolatoria ad se pertinere, alias arenoso fundamento omne solatium superstruitur. Nec est quod gloriatur hic de solidiore sua ratiocinatione, prima enim hypothesis: quam c. 39. pro concessa à Lutheranis sumit: *De veritate fidei & justificationis nostre certi esse possumus: Æquivocatione ludit Lutheranos n. certos esse posse concedimus, Calvinianos verò salvis suis principiis certos esse posse negamus.* (3.) Vestros statuere; Deum paucissimos quos voluit, sine omn respectu fidei vel incredulitatis elegerit, non est calumnia. En tibi Polanum didascal. de predest. p. 148. edit. Basl. *Quare Deus unus electis alios reprobavit, hoc est, à salute rejicere, in peccatis relinquere & propter peccata damnare decrevit, cum non minus electi futuri essent naturâ filii iræ, atq; reliqui omnes? Respondeo, quia ita placuit ipsi. Responderi non potest quòd propter peccatum, quia etiam in electis futurum erat peccatum &c.* En tibi tuum Bezam volum. 1. tract. Theol. p. 417. edit. 1576. *Deum non tantum ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis predestinasse quoscung; libuit, verum quidem esse agnoscimus &c.* En tibi Teipsum Christ. Theol. p. 142. ubi eadem fermè, quæ Polani jam citata sunt verba habes.

2. ex remotione causarum unde certitudo oriri potest.

(1.) Volun-



(1.) *Voluntatis Dei revelata, cui Calvinianus reponet esse voluntatem signi, non beneplaciti.* Excipit Wendelinus p. 380. seq. *esse calumniam.* Resp. Calumniam non esse, ostendunt verba ipsa Doctorum vestrorum citata supra q. 1. §. 1. 2. inquit: *Ad voluntatem igitur Dei revelatam qui se non componit, non est, quod de arcana benevolentia quicquam sibi promittat: ex illius verò præscripto qui vivit, de hac dubitandi prorsus causam nullam habet.* Resp. Hæc saltem dicis gratiâ proferuntur. Nam qui juxta Vos credere debet, Deum nullum absolutè rejecisse, sed omnibus gratiam in Filio unigenito exhibuisse, secundùm voluntatem revelatam; contrarium tamen credere debet, secundùm voluntatem arcanam, Deum scil. plurimos absolutè rejecisse sine seriò oblata gratia in Filio. Quomodo ergò quilibet se componere debet ad voluntatem revelatam & ex illius præscripto vivere cum, an absolute exclusus sit, nesciat? 3. pergit: *Vitam hanc ab æterno Deus decrevit omnibus credentibus dare, eamq; credentibus se daturum in tempore patet fecit & promisit, & suam tandem promissionem verissimè complebit.* Nulla hæc vel in speciem repugnantia arcana & revelata voluntatis. Resp. Revelata Dei voluntas seu Scriptura docet, Deum tum vitam æternam finaliter credentibus & perseverantibus se daturum decrevisse *Matth. 24, 13.* tum paratum esse cunctos fide donare & illam conservare, modò malitiosè non resistent vel rejiciant, *Matth. 23, 27. Act. 13, 46.* At arcana Dei voluntas est, Deum velle absolutè paucissimis fidem largiri, reliquis plurimis absolutè à fide exclusis: qui verò vel isti vel hi sint, arcano decreto occultatum esse. Jam qui credere vult, & debet voluntati Dei revelatæ, is credere oportet, Deum paratum esse omnibus atq; ita etiam incredulis fidem largiri, & p. c. contrarium debet credere, quàm juxta voluntatem arcanam Calvinianorum erat credendum. Ergò est contrarietas voluntatis arcanae & revelatæ. 4. Addit: *De sua igitur in Christum fide qui potest subsumere, de electione sui securus esse potest.* Resp. Vagatur extra oleas, quia nos loquimur de tentato, qui de fide dubitat, & propterea de electione per fidem, utp: æqvè dubiam & igno-

ignotam certus reddi nequit. Illam ipsam se habere ambigit, ideoq; de hac qvarit: num ejus possit fieri particeps? an verò potius debeat desperare? Et quis etiam extra tentationem de sua fide subsumere potest? nescit enim, an absolute sit electus? his namq; solis fides salvifica juxta Calvinianos datur: quam fidem alii habent, salvifica non est.

(2) *Meriti Christi*: quod non ad omnes pertinere reget Calvinianus. Excipit Wendelinus p. 381. 1. *illam propositionem particularem facile mutari posse in universalem, omnium nempe fiduciam habentium.* Resp. Iterum mutat statum Controversiæ, quia loquimur de tentato & desperabundo, qui in subsumptione hæret. Nam sub illa propositione: *Quicumque peccata sua ex animo detestatur, partem sibi in Christo medicinam corde credit &c.* pro eo Christus *efficaciter* est mortuus; non potest subsumere, quia illud est, quod ipsum angit. Statim enim reget: ego corde non credo, ego fidem non habeo, & si vel maxime assensum, lætitiã, Zelum etiam *ἀνυπόκριτον* &c. sentirem, posset tamen esse fidei temporaria, quæ non est salvifica &c. Ergo Christus pro me non est mortuus. Ergo hinc nulla oritur certitudo, sed mera fluctuatio & desperatio. Veruntamen consilium dat Wendelinus & dicit; *in id esse incumbendum, ut verum tandem & serium ejus assensum impetres.* Resp. Hoc non sufficit nec conscientiam tranquillat, nisi etiam fontem & causam addas, cur non debeat homo desperare de firmo assensu fidei, gratiæ & remissionis peccatorum adipiscendo. Alias semper exceptio est parata: *Forstian sum derelictus, Deus mei non est misertus, nec mihi Filium suum misit, sed ira ejus mansit super me, quam jam in corde meo acriter sentio.* 2. *hoc posse retorqueri in nosmetipsos, qui paucos actu participes meriti Christi fieri statuamus.* Resp. Id fit culpâ actualiter repugnantium resistantium & gratiam rejicientium: at hoc tentato facile persuadebis, quod nolit præfractè Sp. S. resistere, reliquum igitur Deo peragendum relinquat, & quod pro omnibus partum, ad se etiam pertinere sciat: ut ita nec hærendum nec Wendelini responsione nobis utendum sit.

S. 7.

1

3. Prop-



§. 8.

(3.) *Promissionum universalium, quas particulares esse jubet Spiritus Calvinianus. Excipit Wendelinus p. 382. eas fieri universales si per annexam conditionem fidei ita enunciuntur: Qui credit in Christum, vitam habet eternam.* Resp. Promissiones ad voluntatem antecedentem pertinentes de gratia Dei, merito Christi & oblatione Sp. S. sunt universales, planè ut quivis per Sp. S. gratiam de se subsumere possit & debeat. Et ita promissiones voluntatis consequentis ad illum quoque pertinent, quæ aliàs particulares sunt, cum oppositas habeant comminationes & condemnationes: nec quivis homo subsumere de se potest. Hinc egregia illa Wendelini oritur h.l. consolatio: *qui verè potest subsumere, dubitandi nullam habet causam: quod ipsum in quaestione est apud tentatum, qui se subsumere posse negat.*

§. 9.

(4.) *Sacramentorum usus & efficacia, quæ saltem ad voluntatem signi pertinere dicet Calvinianus. Excipit Wendelinus d.l. esse calumniam antè refutatam.* Sed hanc non esse calumniam antè fuit monstratum. Post iterum more suo solito exinde universalitatem de omnibus credentibus vult deducere. Sed rursus non probat principalem quaestionem, & id quod maxime indiget probatione relinquit in dubio. Omnino enim de fide hæsitat tentatus, ideoque de hac debebat certus reddi. Dubitationem ergo non adimunt hypotheses Wendelini, & Calvinianorum, ex particulari fonte deductæ, ὅπερ ἔδει δείξαι.

§. 10.

In specie quod jam attinet Zanchii modos probandi, ibi quoque ad primum de testimonio Spiritus dictum fuit quod (1.) videatur Enthusiasmi multum tribuere. Excipit Wendelinus p. 382. esse calumniam. Resp. Gratis calumniatur Antagonista: Nam non absolutè Zanchius accusatur Enthusiasmi, sed oblique & indirectè quod scilicet iste modus non fit liber ab omni suspicionem Enthusiastici erroris. Et ratio est in promptu, quia primo loco & ante verbum ponitur, nec in illo ulla hujus fit mentio, quin Zanchius illud internum testimonium necessariò extra verbum

verbum Dei & voluntatem revelatam statuere cogitur, cum re-
 spiciat Calvinianorum absolutum & arcanum decretum. (2.)
non sit perpetuum, sed in gravioribus tentationibus expiret. Excipit Id. hoc inferre contradictionem, quia th. 33. ipse Pater provocet ad testimonium internum, & praeterea etiam hoc opponi ipse Scriptura. Resp. Sanè duo dissimiles cum faciunt idem diverso modo, non est idem. Sic ergo Lutherani & Calviniani in con-
 solando testimonium Spiritus S. assumere possunt nec tamen eodem jure & successu, quia non faciunt eodem modo & processu. Illi id faciunt sub consideratione dictorum Evangelicorum universalium, hi extra Scripturam, juxta decretum arcanum. Vid. in *Anthropol.* th. 20. Unde quando dicitur; quòd Spiritus S. testimonium prorsus exspirare videatur, id intelligitur de tempore tentationis gravissimæ, ubi homo cum Davide Ps. 31. 23. à facie Dei se abjectum esse querulatur; & de sensu testificantis Spiritus, quem nempe homo non semper percipit unde ad illum solum vel etiam primò tentatus remitti non potest. At quando testimonium idem admittitur, ibi res est 1. de tentationis non adeò magnæ tempore, quia etiam ibi certi dantur gradus. 2. de certitudine à posteriori, ubi tentatus ex mediis à priori ad fidem de non denegata gratia jam permotus quasi quiescere incipit & testimonium ex consequentibus & effectis à causis certis notis & infallibilibus ortum admittit. (3.) *sit in dubium, utrum illud μαρτύριον sit profectum à Spiritu S. num potius carnali quâdam confidentiâ, cum decretum Dei penitus incognitum inculcent.* Excipit Id. p. 383. *falsum esse, ipsos docere decretum prorsus incognitum.* Deinde nos remittit ad ipsum Patrem p. m. pro se respondentem th. 35. Resp. Prius non esse falsum docet decretum illorum absolutum & arcanum Scripturæ planè contrarium, de certis personis ante constitutum ordinem salutis electis, quod propugnant: si verò ipsis est revelatum, factū id erit, privato Spiritus actu. Caveat ergo Wendelinus, ne seipsum incautus Enthusiasticis implicet casibus. Deinde illud quod dicitur thes. 35. non potest pro se allegare Wendelinus, quia ex ipsius hypothesebus semper occurrit

dubium illud nunquam non tentatum fatigans: an scilicet possit ad gratiam pervenire? an sit absolute electus? cum apud reliquos, etiam si hypocritæ non sint, spiritus opera quædam, ut lætitia, zelus &c. inveniantur. Hoc adimere ipsi non possunt hypotheses Calvinianorum de absoluto decreto; adimunt autem felicissime nostræ de electione ordinata ἀξιώσεως. Frustrà verò addit Adversarius: *Urgebit autem demum nos exceptio Meisneri, cum demonstraverit eadem carnis & Spiritus esse opera, nec efficaciter satis à Spiritu Dei hominem moveri, adeò ut à mundi spiritu discerni queat.* Resp. Semper confundit statum tranquillum cum turbato & irrequieto. Ibi accurata & aperta fieri potest discretio inter opera carnis & spiritus: at hinc illa haberi nequit, quando conscientia circa illa diversa opera vacillat, trepidat ac subdubitat, præsertim à Calvinianis in formata, posse esse inanem persuasionem, ac si hæc opera à Sp. S. profecta sint cum tamen sint etiam fidei *ωρθησάτων* communia. Unde differunt 1. de lucta carnis & Spiritus gloriari, quod faciunt hypocritæ. 2. opinari, quod accidit heterodoxus. 3. de serâ resistantia dubitare, quod tentato Christiano occurrit. 4. firmiter asseverare, quod orthodoxis quietis competit.

§. II. Quoad II. de Verbo seu Evangelio dictum fuit (1.) *Non esse perpetuum, scil. tempore tentationis.* Excipit Wendelinus p. 384 *hoc esse contra ipsum Parentem.* Resp. B. Parens non simpliciter dicit ex Evangelio confirmationem peti non posse, sed modo Zanchiano; subsumtionem enim negat, quippe quæ apud Calvinianos sub particulari propositione fit: at nos sub majore universali non tantum à priori sed etiam hoc præmisso à posteriori rectè concludere possumus. (2.) *esse incertum & infirmum ob absolutum decretum, quia non potest tentatus confirmari, quod habeat fidem vel ex verbo vel ex promissionibus & Sacramentis unde semper manet dubium &c.* Excipit Wendelinus p. 385, seqq. 1. *absolutum decretum non tollere fidem, præsertim si respiciatur patefactio in verbo, ubi peccata sint agnoscenda, ad Christum sit confugiendum, & promissio Christi urgenda:*

genda: Quicquid petieritis &c. Resp. Quia Deus arcano suo decreto paucorum tantum est misertus, ideo apud tentatum omnino obrepunt dubitationes istae. Etsi autem hic audiat ex verbo patefacto de fide, Christo & ejus promissionibus &c. tamen se fidem non habere vel ad se illa non attinere queritur. Hac omnia enim apud ipsum sunt petitiones principii, quia conscientia ejus reclamationat & dicit; Christum esse aliquorum & nonejus Redemptorem & Mediatorem, ipsum ergo non posse fide in Christum habere vel illam in nomine Christi petere. Experiatur hic Wendelinus vires suas, num possit informare vel confirmare talem tentatum, ut credat, Christum etiam pro suis peccatis satisfecisse.

2. De voluntate signi in verbo, de promissionibus particularibus & de significatione Sacramentorum esse calumniam; nos autem statuere manducationem Capernaiticam, qua corpus Christi deglutimus, incredulis quoque communem, unde tentatus de fide judicii formidandi causam habeat. Resp. De decreto arcano & promissionibus supra. Calvinianos statuere Sacramenta nude significare, imo quo ad reprobos ne significare quidem posse, docent Nostrates evidenter, Vid. Dn. Praecept. D. Gerhard. de Sacram. in gen. §. 23. sicut iidem calumniam illam obsoletam de Capernaitica manducatione toties objecta toties propulsarunt, ut mirum, Wendelinum hanc iterum repetere. Sacramentum a. Coenae legitime usurpatum non parum solatii & confirmationis tentato conferre quis negabit? Accipit enim eo ipso corpus Christi Salvatoris sui, quod pro peccatis suis crucifixum est, accipit sanguinem Salvatoris sui, qui pro peccatis suis effusus est. Nec est, quod tentatus fidei sensu carens se indignis accenseat; non enim ex fidei infirmitate indignitas oritur: sufficit, quod nolit Spiritui S. contradicere & resistere. Sic enim fidem habet, quae hoc Sacramento confirmatur, etiam si sensum fidei nondum habeat.

3. quando dixit Parens, semper manere dubium, an Deus serio velit misereri ob arcanum decretum; ipse antiquum obtinet, dum calumniam & superiora iterum ingeminat p. 385. deinde addit, voluntatem illam omnino esse patefactam iis, qui electorum

67037

I 3

pro-



propria in se deprehendunt, quod fieri posse ne ipsi quidem negare
audeamus: si autem nostris hypothesebus de fide, justificatione & sanctificatione reprobis quoque, concedenda nobis eam semper manere absconditam. Resp. Referimus nos itidem ad antecedentia §. 6. De arcana voluntate etiam is dubitandi causam habet, qui ad revelatam praescriptum se componit, cum reprobis professionem non simulatam, assensum, affectum cordis & zelum non prorsus hypocriticum ipse concedat c. 30. p. 360. Sic & benevolentia Dei arcana manet, non patefit in verbo. Manet enim absconditum: quibusnam Deus Evangelium serio annunciet? ad quos pertineant Sacramenta? quinam ex iis participes fieri debeant gratiae fidei salvificae? Si maxime ergo tentato inculces, Deum electos elegisse ad vitam aeternam & elegisse ad media &c. statim tamen tentatus regerit: quid hoc ad me? manet tamen mihi & tibi arcanum, nescio an Deus mei miserus me elegerit & destinavit ad fidei media, ad fidem & vitam aeternam? Quia ergo hoc tentato ex verbo Dei firmiter demonstrari ob absolutum illud decretum nequit, frustra apud eum laboratur patefacto verbo. Et quae haec demonstratio? dubitat quis, an sit arcano decreto electus, Respondetur, in Verbo id esse patefactum iis, qui electorum propria deprehendunt. At tentatus haec non deprehendit, nec salvis Calvinianorum hypothesebus deprehendere potest. Negamus enim omnino, arcanè electorum propria Calviniana quenquam per firmam scientiam deprehendere posse. De illa nostra hypothese, quod fides sit communis electis & reprobis, supra actum. 4. Quando dicit: fidem temporariam à viva non posse distinguere; remittit ipse nos ad antecess. in quo & ego acquiesco. 5. Quando addit: nullum esse verbum vel promissionem, cui firmiter innitatur tentatus; iste vocat calumniam protritam. Sed ego nego. 6. Quando subjicit, Calvinianos se debere exercere in erigendo dubitante de fide ex absoluto decreto sibi inter paucissimos quoque, infundenda; is dicit, laboriosam exercitatione opus non esse scilicet per media in Verbo patefacta, quod declarat exemplo Beza. Resp. De patefactione mediocum in Verbo, quod illa quoad tenta-

tentatum in processu Calviniano nil roboris obtineant, jam fuit evictum. Wendelino itaq; adhuc laboriosâ exercitatione opus esse facillè demonstratur. Quicumq; enim debet auxilium DEI implorare, ut & sibi salutaris mediorum usus obtingat, ille debet priùs firmiter credere, Deum sui misertum esse, sibi datum esse Filium ejus in Mediatorem, Redemptorem &c. Atqui tentatus non credit se esse electum, nec sibi datum esse Filium Dei &c. nec juxta consolatores Calvinianos aliter credere potest, quia electio facta est absolutè ante respectum receptionis oblatae gratiæ; ideò quorumc. DEUS misertus est, illos immutabiliter credentes reddit. Hinc ipse potiùs colligit hoc modo: quia non sum credens redditus, nec me fieri credentem certus sum ob absolutum decretum arcanum. Et sanè absoluto illo decreto pietatis conatum omnem annihilari jam dudum demonstrârunt Nostrates. Efficacissimum verò solatium nostrum est, ex Verbo Dei desumptum de immensa Dei Patris misericordia & bonitate in Filio suo omnibus oblata, de universalitate meriti Christi; universalitate itidem promissionum &c. à quibus nemo absolutè est exclusus, nisi qui seipsum spontè impœnitentiâ aut diffidentiâ excludit.

Quoad III. de effectis dictum fuit (1.) non esse eum perpetuum, scil. tempore tentationis. Excipit Wendelinus p. 387. hoc esse contra ipsum Parentem. Resp. Fidem in tentationibus gravioribus in dubium vocari posse Wendelinus negare non poterit. Ubi sanè, quando peccator evigilante conscientia tentatus & angustatus dubitat: an possit gratiæ fidei particeps fieri? sanè ad eam frustranea de effectis fidei instituitur sermocinatio. Quando autem Parens p. m. provocat ad effecta fidei, facit id certo respectu & tempore, ut antea dictum §. 10. n. 2. & §. 11. n. 1. scil. tunc, quando jam convictus est à priori, ut credat, Deum sui misertum esse, Filium Dei pro peccatis suis satisfecisse etc. quod cum Wendelinus ob absolutum decretum præstare nequeat, hinc ad effecta fidei ipse provocare nequit. Deinde loquitur parens de fide præsentem ex effectibus cognoscenda: Adversarius verò de electione & statu futuro.

Exei-

§. 12.

Excipit autem porro; *fidem cum effectis sepultā ad extrema cum perventum fuerit, rursus emicare.* Resp. at tentatus nescit, an in illo loco numero sit, in quibus fides rursus sit emicatura, imò hoc in tentatione negat, unde cum Petro Illosvano Scholæ Cyngerinæ in Hungaria Rectore ex Calvinianis principiis desperat. Vid. D. Gerhard. Tom. 2. disp. 3. *de fund. consol. th. 29. (2.) esse etiam incertum, nisi prius de causa operatione tentatus confirmetur.* Excipit Id. *omnino firmam esse demonstrationem ab effectu etiam si lateat causa &c.* Resp. Si effectus certus & evidens, concedimus; at si ut h. l. effectus incertus sit, cum unicè ab operatione causæ, quæ incerta est, dependeat: non potes esse certus de effectu, cum & in illo ob similitudinem, quæ in *ωγεναιγοις* invenitur, decipi possis.

S. 13.

Coronidis loco B. Parens ex ipso Zanchio miscell p. 324. electionis probabilem certitudinē ostendere vult; ad quod excipit Wendelinus p. ult. *Zanchium loqui de Prædestinatione respectu alterius personæ cognoscenda.* Resp. Dicit hoc, non probat; imò contrarium liquet ex scopo. Quis n. hoc ipsi vitio vertisset, si dixisset; alterius electionem nobis esse incognitam? & quando causa prædestinationis, nempe Dei voluntas incognita dicitur, id utiq; tam respectu ipsius prædestinati quàm aliorum accipiendum. Quin si vel maximè concederetur, Zanchium respexisse ad certitudinē electionis quo ad proximum cognoscendā, quod nō negavit Parens meus; attamen de ejusdem certitudine in propria persona cognoscendā hic quoq; agi, rectè collegisset ex generali illa positione; *ab effectis prædestinationem probabiliter indicari*: quem modum probandi ipse supra etiam ad propriā certitudinē accommodavit. Hinc ita procedo: Effecta prædestinationis probabiliter indicant electionem. In me sunt effecta prædestinationis. Ergò in me probabiliter indicant electionem. Major est Zanchii. Minor ut probata ponitur. Perstat ergò Conclusio & p. c. accusatio legitima. Convitia, quæ ad finem usq; continuat, autori remitto; Deum verò rogo, ut veritatem ipsi & omnibus ab ipso seductis manifestet, in eadem autem nos conservet & confirmet propter Salvatorem nostrum, Amen.

LAUS DEO.

05 A 1060


ULB Halle 3
003 755 169



V3-12
GdL







1769. W53

DISQVISITIO
De
PRÆDESTI-
NATIONE.

Pro
BALTHASARE MEISNERO, p.m.SS.
Theol. quondam D. & Prof. Publ.

Opposita
M. MARCO FRIDERICO WENDELINO,
Archipalatino.

Et publico examini exposita

PRÆSIDE

DN. WILHELMO LYSERO,
SS. Theol. D. Profefs. Publ. &c.

Respondente
M. BALTHASARE MEISNERO,
Witteberg.

Ad diem 7. Aprilis.
In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,

Typis JOBI WILHELMI FINCELII,
Impensis viduæ JOHANNIS HELWIGII Bibliopolaë.
M. DC. XXXVI.